Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann August Starck von

Ioannis Augusti Starckii Magistri Philosophiae, Regiae Societatis Tevtonicae Goettingensis Sodalis Sylloge Commentationvm Et Observationvm Philologico-Criticarvm

Volumen 1

Regiomonti: Impensis I. I. Kanter, 1769

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428

Band (Druck) Freier Zugang

PUBLIC DOMAIN

Fc-3573
Fc-3573. 1,2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0004
DFG

IOANNIS AVGVSTI STARCKII
MAGISTRI PHILOSOPHIAE, REGIAE
SOCIETATIS TEVTONICAE GOETTINGENSIS
SODALIS

SYLLOGE
COMMENTATIONVM
ET
OBSERVATIONVM
PHILOLOGICO-CRITICARVM.

VOLVMEN I.

ἤτοι μὲν τόδε καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ
τοιοῦδ' οἷος δ' ἐστὶ θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν.

HOMER.

REGIOMONTI
IMPENSIS I. I. KANTERI.
1769.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0005
DFG

Ex Bibliotheca Academica Rostochiensi

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0006
DFG

ILLVSTRISSIMO

ET

SERENISSIMO. DOMINO

DOMINO

ALEXANDRO

PRINCIPI

DE WAEZEMSKOJ

SACR. CAES. MAIEST.

AVG. IMPERAT. TOTIVS. RVSSIAE

PROCVRATORI. GENERALI

IN

SVPREMO. IMPERII. SENATV

ORDINVM. EQVESTRIVM

AQVILAE. ALBAE

ET

DIVAE. ANNAE

EQVITI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0007
DFG

LITERAR. LITERATOR.

ET. OMNIS. HVMANITATIS

PROTECTORI. ET. PROMOTORI

DOMINO

ET

PATRONO. MEO

LONGE. CLEMENTISSIMO.

HVNC. LIBELLVM

MEQVE. IPSVM. ADEO.

PECTORE. PIO. ET. DEVOTO.

D. D. D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0008
DFG

VIRO

SVMME REVERENDO

ATQVE

DOCTISSIMO

BARTHOLOMAEO JOVBERT

ABBATI, SS. THEOLOGIAE DOCTORI IN VNIVERSITATE PARISINA, DIRECTORI SEMINARII MAGNI SANCTI SVLPICII.

S. P. D.

IOANNES AVGVSTVS STARCKIVS.



Suauiſſime me ſemper affecit amicitia TUA, qua me, Lutetiae Pariſiorum viuentem, amplexus es, eamque non eo ſolum tempore plurimi feci, colui et amaui; ſed inde a diſceſſu meo nihil mihi durum adeo atque acerbum fuit, quam TUA conuerſatione

carere, vt nullum fere diem praetermiserim, quin saepius, TE, TUA que in me collata beneficia, memoria recolerem. Et hae quidem pristini temporis recordationes, tanto grauiori morsu dolorem efficiunt, quando me a TE disiunctum et diuisum esse video. Quid igitur, an Idus illos Sextiles accusabo, quibus a TE auulsus sum? an graues potius fortunae vicissitudines? durum nempe nimis amicis fatum est, quod vna semper viuere, vnaque diem obire, eis a superis haud concessum est. Tamen illud me vehementer consolatur amicitiae tuae testimonium, quam praesenti mihi notam et perspectam satis, absenti quoque literis probare voluisti. Ego autem, quomodi TIBI, animum meum ex toto TIBI deditum, gratamque mentem potero probare, quam si eundem libellum, qui sub TUIS auspiciis, auctus et perfectus est, nomini TUO dedicarem? Idque ob grauissimas praeterea causas facere debui. Primum enim, vt eorum codicum

cum MSS. quos Bibliotheca regia seruat communicationem, Illust. virorum, BEIOTI, CAPERONNIERII, et Reu. Abbatis BARTHELEMII, humanitati debeo, ita TUA solum opera perfectum est, qui nihil vnquam omittere voluisti, quod vel ad confirmandum, vel augendum illud studiorum genus faciebat, cui a primis inde iuuentutis annis, quam plurimum semper tribui, vt a Reu. Abbate ADHENET, Bibliothecario Sorbonae, et Reu. Abb. de BESPLACE, facultas mihi concederetur, eos quoque codices consulendi, qui in Bibliotheca Sorbonae adseruantur. Neque in eo, quae TUA fuit humanitas, acquieuisti, sed Bibliotheca Seminarii Sancti Sulpicii, et omni eo, quidquid TUUM fuit, tanquam meo vti potestas fuit. Quodsi vero deinde hunc libellum tali viro offerre debui, qui rectum atque integrum iudicium de eo ferre posset, optimum mihi iudicem TE delegisse certum est, cuius profundam veritatis

tis diuinae cognitionem, et omnium literarum elegantium egregiam doctrinam nunquam satis mirari potui, vt quem cordis pietate sibi Deus formasset, gratiis quoque suis musae adornare voluisse videantur. Nolo autem TUARUM virtutum praeco esse, qui illud TIBI tanquam legem praescripsisti:

ἄριστος εἶναι μὴ φανῆναι.

IPSE denique iam olim auctor mihi et suasor fuisti, vt hunc libellum in lucem ederem; perfectumque a me iam eo tempore fuisset, cum Lutetiae Parisiorum viuerem, nisi profectio mea, etiam in hac re impedimento mihi fuisset. Quodsi autem TUA adsensione dignus fuerit praesens libellus, aliis quoque haud prorsus improbatum iri mihi persuasum est. Equidem non ignoro nostrorum temporum bellandi libidinem, vbi quicunque aliquid in lucem emittunt ad pugnam parati προβολὴν facere tenentur,

tur, vbi ii quoque nonnumquam, magnam eruditionis speciem praetendentes, Criticos ludunt, qui censorum munus, sine ullis auspiciis, sibimet ipsis detulerunt. Illud praecipue multis criminationibus et censuris obiectum est criseos genus, quod circa sacros codices versatur, vbi vere incedimus — — *per ignes*

Suppositos cineri doloso.

Tamen siue superstitiosos illos, siue vitio creatos censores nihil curamus. Communis enim sors ab antiquissimis iam inde temporibus eis fuisse videtur, qui ad depurganda sacra volumina manum attulerunt, vt ab aliis dilacerarentur. *Peruersissimi homines*, inquit igitur D. Hieronymus in Epistola Critica ad Sunniam et Fretelam; *nam cum semper nouas expetunt voluptates, et gulae eorum vicina maria non sufficiant, cur in solo scripturarum studio veteri sapore contenti sint?* Aliis fortasse non pro-

babitur comparatio a me inter Dauidis carmina et profanos poetas instituta. Sed poetas cum poetis componendos esse arbitror. Quodsi Diuo Paullo, Aratus poeta non indignus visus est, ex quo versum scriptis suis insereret; si Ecclesiae patres, gentilium libris et testimoniis, eorum denique theologia vsi sunt, ad veritatem Christianam comprobandam; si et noui scripta foederis non sine magno commodo et fructu, ex Graecorum scriptis illustrarunt viri docti: Quidni Dauidis carmina, cum graecis et latinis componamus, et poeticas pulcritudines et ipsum sensum verborum illustremus? In vtroque Ps. 68. et 144. Masorethica lectione reiecta eam restituimus, quae nobis genuina visa est, eamque ob causam aliis fortasse audaces nimis esse videbimur, qui ab ebraica veritate quid retrahere et eam mutare ausi fuerimus. Equidem si meris coniecturis indulserimus, vbi

non

non satis clara vel a poetica pulcritudine aliena lectio videbatur, iure audaciae arguendi essemus, cum in id ipsum vitium incideremus, quod in *Houbigantio* toties reprehendere coacti fuimus. Nihil enim audax adeo et temerarium est, etiam in profanis exponendis scriptoribus, quam ingenio suo indulgere nimis, sibi tantum sapere velle, et literis mandatam veritatem, vbi nostris oculis non clara et perspicua sunt omnia, ingenii commentis postponere. Quare ad ipsas eas mutationes, quas suscepi, non nisi timide aggressus sum, et ita quidem, vt intricatas et non satis mihi expeditas lectiones retinere mallem, quam eas admittere, quae non firmissimis et grauissimis veterum testimoniis confirmata essent. Τὴν γὰρ ἔσω γραμμὴν ἔχειν ἄριστον ἐστί.

In

In vtriusque Psalmi, 68. et 144. explicatione plerosque omnes a mea sententia dissentire arbitror, praesertim ob testimonium de Christo, quod inde omnino remouendum esse iudicaui. Peruersus enim iste mos inualuit, vt diuinae veritati satis consultum esse credant, dummodo dictorum probantium μέγα ἡμιόνων ἄχθος in medium proferre possint, parum considerantes, quanta sit religionis calumnia, vbi testimoniis κενοσπουδοῖς fuerit probata et confirmata. Ex quo factum est, vt homines saepenumero nulla artis criticae cognitione imbuti, ea loca tanquam firmissima veritatis testimonia allegarent, quae ipsis quodammodo cum eorum dogmatibus consentire videbantur, et pro vaticiniis haberent, quae ex veteri testamento illustrationis loco, in nouo adducebantur. Atque ex hoc quoque genere iste quoque locus est ad Ephesios 4, 8. vbi vnica vox ἀνέβη occasionem dedit intergretibus

de

de Adscensu Christi ad superos cogitandi, de quo altum est silentium, cum de diuersitate donorum a Deo hominibus concessorum sermo sit, quod vel ex praecedentibus versiculis, vel ex iis omnibus, qui proxime sequuntur, cognosci potest. Mihi sane diuina veritate valde indignum esse videtur, ad testimonia confugere, quae dubiae sunt explicationis, quasi in sacro codice tam exiguus sit eorum numerus, quibus clarissime ita veritatem confirmare possimus, vt nullus nobis relictus sit dubitandi locus, nec aduersariis fidei dogmata oppugnandi, quae vniuersae ecclesiae christianae testimonio confirmantur ex fontibus scripturae limpidissimis.

Haec ego ad TE, non quidem ἀπολογίαν συνταξόμενος. Sed vt aliis quoque perspicuum sit, quid de hoc genere iudicem. Tamen non adeo per-

pertinax sum vt, vbi meliora doctus fuero, à sententiis omnino auferri nequeam; malo enim a doctioribus prius erudiri, quam cogitationes meas, quae mihi homunculo incerta coniectura consequenti, verissimae et probatiores visae sunt, aliis tanquam Pythii effata obtrudere. Hanc itaque Commentationum Syllogen TUO et omnium bonorum iudicio submitto, vt vel alii inde perspiciant, quantum sibi de ea Psalmorum Editione ex Libris Manuscriptis, quam molior, cuiusque Προλεγόμενα διδασκαλικὰ mox cum erudito orbe communicabuntur, promittere possint, vtique videam, vtrum vere publica luce digna fuerit opera, quam mihi in Carminibus Dauidis explicandis sumserim. Plura enim non desidero, quam vt bonis omnibus quodammodo satisfacere, et his studiis, pro viribus nostris opem ferre valeam. Caetera non curo vehementer. Laudabit aliquis? nil

mihi

mihi tribuam, neque arrogantia efferar. Meliora docebit? grato animo accipiam. Vituperabit? Non flebo vt puer. Quidquid vero de meis ſtudiis TU, aliique boni ſtatuerint, rectum eſſe iudicabo, cum nullis facilius poſteri carere poſſint quam meis.

Vale, vir Reuerendiſſime, et me tantisper TUA beniuolentia complectere, quoad me omnibus ſignis gratum et TUA amicitia dignum perſpexeris. Ego quidem TUI memoriam, TUA in me collata beneficia, conſuetudinem denique iſtam, qua inter nos coniuncti fuimus; numquam ex animo meo dimittam. Vale.

Dedi

Dedi PETROPOLI, in Aedibus Illustr. et Seren. Principis Alexandri de Waezemskoj. Ad d. XV. Kalend. Mart. MDCCLXIX.

I. CHA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0020
DFG

I.

CHARACTER DAVIDIS

AD

REGVLAS POESEOS LYRICAE

EXAMINATVS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0021
DFG



I.

CHARACTER DAVIDIS

AD

REGVLAS POESEOS LYRICAE

EXAMINATVS.

Praefatio.

Cum mihi non solum magnum esse videatur, verum etiam ab iis omnibus sit comprobatum, qui ad veterum exemplaria, et poetica inprimis, manum appulerunt, recte de poesi statuere, atque iudicare; maximum sane est, de ingenio poetae dicere, et quid senserit eloqui, et quos in pectore

habuerit affectus, sermone explicare. Nam etsi Grammaticorum Critica, quanto cumque etiam contemtu ab indoctis despicitur, per magni momenti est, quae praestantissima nimirum optimorum ingeniorum monimenta, nocturna ab omnibus et diurna versanda manu, seruat, et pristino suo nitori et puritati restituit; tamen non est nisi ministra et Κρισεως generi, quod non in vocabulis diiudicandis desinit, verum altius progreditur, et ex genere scribendi de ingenio poetae iudicat, quin ad intimos vsque pectoris affectus penetrat. Illam quidem artem Grammaticorum et Criticorum praeceptis acquirimus; haec vero, si non est difficilior, id tamen habet singulare, quod a natura sola proficiscitur, nec sine illius ope recte tractari potest. Etsi vero plurimi poetarum apud veteres, eorumque pulcritudo me alliciat; potius tamen volui in Dauidis Carminibus explicandis periculum virium facere, quem a nemine, et ne ab ipso Lowtho quidem ita tractatum esse video. Prae ceteris enim omnibus vehementer placuit pulcritudo eorum carminum naturalis et infucata, oblectauit dulcedo, rapuit in admirationem sublimitas,

vt

vt in vno Dauide omnes mihi veterum poetarum, Orpheus, Pindarus, Flaccus et Callimachus, coniuncti esse viderentur.

Τὸ πόρσω
δ' ἔστι σοφοῖς ἄβατον
κ'ασόφοις.

Sed ad ipsas origines poeseos lyricae primum nos conferimus.

Origo poeseos lyricae.

Lyricam poesin dicimus, quae circa odas versatur, quas cum Graeci et Latini ad lyram canerent, illam λυρικὴν dixerunt: quod nomen a Graecis ad Latinos translatum et a nostris quoque hominibus seruatum est. [1]) Haec est omnium poematum fons et origo; hinc εἰδυλλιον, hinc ἡρωϊκον, τραγικον, ἐλεγιακον, et κωμικον ποιημα originem suam habet. Vnde vero ipsa poesis lyrica? Ex admiratione, si quid video, si, quod omnes mi-

 hi

1) Ebraei שיר dicunt, vel שירה *Rythmum* ab *ordinando instruendo*. Arabibus سورة quae vox latius patet, et ad quoduis carmen ab Ebraeis translata est.

hi facili negotio concedent, odae conuenientes affectus admiratione excitantur. [2]) Quod nam vero admirationis istius obiectum fuerit, constituere admodum est difficile. Dii fortassis, et dignissima admiratione Deorum opera, orbis terrarum, et caelorum magnificentia, in eam admirationem duxerunt genus hominum, pectoribusque indiderunt diuinum illum affectum, qui in Diui patris laudes, ὕμνους nimirum erumpit. Vereor tamen, ne maiorum cogitandi genus ad nostram philosophiam et naturalem theologiam accommodantes, verisimilitudinis parum simus studiosi. Videntur potius Heroum generosa facinora canendi occasionem dedisse, si quidem ex Pindari, Horatii, et nonnullis carminibus Ebraeorum coniecturam facere licet: quid quod apud ipsos Arabes, cum Ebraeis climate, lingua et cognatione coniunctos, frequentissima sunt, et vetustatis speciem prae se ferunt ea carmina, quibus res ab Heroibus fortiter olim gestae celebrantur, et posteritati commendantur. At vero, si intentiori oculo Pindari poemata perlustramus,

2) Videsis Lowth de Sacra poesi Ebraeorum. Tom. 2.

mus, et ingenium poetae, in tot vnius eiusdemque argumenti carminibus, adeo varium, sublime atque elegans, vt satis mirari prorsus nequeas; maximum sane splendorem et dignitatem a digressionibus mutuatur, quae ex gentium theologia petitae sunt. Et quamquam ex magno Carminum numero, paucas tantum habeamus superstites Odas in Victores ludorum Graecorum; Cum tamen et βακχικὰ, δαφνηφορικὰ, et παιᾶνας [3]) in honorem Liberi Patris et Apollinis, ὑποχρήματα deinde ὕμνους et διθυράμβους composuisse, vt alios [4]) praetermittam, *Suidas* memoriae prodidit. Vbi porro antiquitates Graeciae remotissimas repetimus, ὕμνοι certe nobis se offerunt tanquam antiquissimae lyrae occupationes, quod, nisi ad Homeri et Orphei hymnos, dubiae apud quosdam fidei, licet prouocare, luculentissime probabit *Plato de Legibus Lib. 3.* De Romanis nullum nobis fere dubium residet, siquidem a Graecis nutriti, pleraque, quae ad res sacras et literas

3) Vide de his Gisb. Cuperi Obseruatt. 1, 1.

4) Vide Lambinum et Crucquium ad Horat. 4. Carm. 2.

ras pertinent elegantiores, ab eis acceperunt. Notissima sunt *Axamenta* Saliorum carmina, quae prima fortassis vocari possunt Romanorum [5]); quamuis haud dubia oritur suspicio, Romanorum lyram rarissime Diuorum laudibus, et vere diuo afflatu dignis rebus, principio fuisse occupatum. Namque cum ex Catonis originibus apud Ciceronem appareat [6]), *iam ante Liuium, qui annis circiter CCCCX post R. C. fabulam dedit, solitos fuisse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus; honorem tamen huic generi non fuisse, declarat oratio ipsius M. Catonis, in qua obiecit, vti probrum M. Nobiliori, quod is in prouinciam poetas duxisset.* Apud Orientales ea quoque Oda, quae fortium virorum victorias canit, de Deo loquitur. His fere semper in ore Deus est, omnia ei tribuunt, bellum, victoriam, hic dux est exercitus, hic militat, hic hostes in fugam vertit et victos ducit triumphaturus, quo ipsi mihi indicare videntur orientales poetae, quantum

5) Cfr. Ouid. Fast. 3, 387. Varro de L. L. 5, 6. Salmasius ad Cap. Anto.

6) Vide Tusculanas Quaestiones. Lib. 1. c. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0028
DFG

tum dignitatis carmini decedat, nisi diuinae maiestatis praeconiis fuerit exornatum.

יהוה איש מלחמה יהוה שמו

7) *Vir belli Dominus est: Iehova nomen Eius,*

inquit Moyses, in sublimi Επινικιῳ post cladem Aegyptiorum ad Bediah Exod. 15, 3. vbi per totum carmen sub militis persona ipsum Iehouam celebrat. Et vbi magnam Israelitarum de Moabitis victoriam canit Debora, caelitus item aduersus hostes militasse fingit, et ipsas stellas hostibus sese aduersatores praebuisse Iud. 5, 20.

7) Ita interpretor ad ταυτολογίαν euitandam, quam textus Ebraicus, vt vt hodie legitur, admittit. Certe, si quid video, prior vox יהוה in ארני mutanda est. Ex versionibus antiquis nihil hic est praesidii, quae vno eodemque vocabulo vtrasque voces exprimere solent. איש מלחמה h. l. idem est, quod Psalmista exprimit גבר מלחמה. Ps. 24, 28.

מן השמים נלחמו הכוכבים
ממסלותם נלחמו עם סיסרא׃

Ex caelis pugnabant ſtellae,
Ex altiſſimis ſedibus ſuis pugnabant cum Siſſera.

Cuiusmodi exempla plura praebent poetica Ebraeorum monimenta, et inprimis carmina Dauidis. Verum etiam, ſi deſint, anne ipſa Ebraeorum Oda, quae inter ſacrificia, epulas et Deo ſacra tripudia nata eſt et adulta, diuinam ſui originem ſatis ſuperque probat?

χαρακτὴρ ποιήσεως λυρικῆς. *Sublimitas* praecipuus eſt poeſeos lyricae character. Etenim cum ex affectibus oda oriatur, eiusque ſit maximum decus, ſi magnas et fortes animi perceptiones in hominibus poterit excitare, ipſa vero *Longini* teſtimonio ὑπερφυᾶ ὑπερφέρουσα βίαν habeat, vt quae modo cunque velit, nobis perſuadere valeat: nonne inde praecipuum carminis Ebraici characterem eſſe ſublimitatem apparet? Vnde vero, niſi ex enthuſiaſmo diuinitus excitato oritur iſta ſublimitas? Ineſt Deus poetarum pectoribus, qui eos commouet, percellit, excitat, vt diuino per-

perciti impetu, et quasi furore quodam concitati ipsius Dei laudes efferant, qui fortissimorum affectuum auctor fuit. Quare et *Pindarus* [8]) Lycium suum allocutus, originem affectuum ex Diis esse ita indicat.

Ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς.
Καὶ σοφοὶ καὶ χερσὶ βιατᾶι περιγλωσσοί τ' ἔφυν.

Vno omnia intuitu videt, miratur, stupet, omnia noua, inuisa, apparent, et a terrestri, hominumque commercio, secretus, Diis et essentiis superioribus mistus sibi esse videtur: vti Horatius, qui ita:

Auditis? an me ludit amabilis
insania? — audire et videor pios
errare per lucos, amoenae
quos et aquae subeunt et aurae.

tum

8) Pyth. a, 79. De poetis h. l. praesertim intelligendum existimo illud σοφοὶ. Antiquissimis enim temporibus, σοφοὶ et φιλόσοφοι dicebantur poetae. τὸ ἀρχαῖον inquit Didymus ad Odyss. γ. οἱ ἀοιδοὶ τῶν φιλοσόφων τάξιν ἔτειχον. Sic Pindarus Olymp. a, 15. Isthm. ε. vbi Schol. σοφίσται καὶ σοφοὺς ἔλεγον τοὺς ποιητάς.

tum furore quodam poetico, negata aliis via caelum iter tentat, et diuino velut alite eo fertur, vnde alio tempore anxie pedem retuliſſet, et feruenti pectore exclamat attonitus:

Quo me . . . . . rapis tui
Plenum? quae in nemora aut quos agor
in ſpecus?
Velox mente noua . . . . . .
. . . . . Non ſecus in iugis
Ex ſomnis ſtupet Euias,
Hebrum proſpiciens et niue candidam
Thracem ac pede barbaro
Luſtratam Rhodopen, ac mihi deuio
Rupes et vacuum nemus
Mirari libet . . . . . .

Tanta occupat admiratio pectus poetae, et diuinus ſane impetus, vt clarioribus oculis, a quibus ipſe Deus nebulas diſpulit, videre videatur, et ἐκϛάσει diuina, eo fertur canendo, vt ipſe fere, quonam ſit delatus diuino impetu, ignoret; plane ita noſter:

Mit ſonnenrothem Angeſichte
Flieg ich zur Gottheit auf; ein Strahl von
ihrem Lichte

Glänzt

Glänzt auf mein Saitenspiel, das nie erhabner klang.
Durch welche Töne wälzt mein feuriger Gesang,
Wie eine Fluth von furchtbarn Klippen,
Sich strömend fort, und brauſt von meinen Lippen!

Quis non in his Deum sentit, et sublimem lyrae occupationem, ἐνθουσιασμὸν, quo concitatus et tanquam fugiente penna caelum tendens, alieno ore indicta profert?

Naturae imitatio.

Quodsi poeta Deorum numine excitatus canit, si res magnificae et sublimes, eum adeo in admirationem rapiunt, vt magni inde affectus oriantur; qui fieri potest, cum veri sint affectus, nec naturae imitationes, quae omnis poeseos mater est atque nutrix, vt eius modi carmen poeseos nomine possit vocari? Ita quidem: perquam difficile est, quod obiicitur, nec leuissimi momenti, vti videtur, cum aestuantes animi affectus, ne pingendi quidem naturam tempus poetis relinquunt. Poetae eadem ratio est, quae pictoris et ei-

citharoedi, atque cum vtrisque arctissimo vinculo poesis coniuncta est. Etenim vti omnis sonus, siue lugubris, siue laetus, siue sit exsultans, siue sedatus, siue grauis denique sit, siue mollior, naturae imitatione efficitur, et quo affectus humanos magis exprimit, eo perfectior habetur; vtique, quo ad naturam magis accedunt pectoris tabulae, eo sunt perfectiores et absolutiores: ita quoque poesis nunquam magis mouet lectores, quam ipsam ita exprimendo naturam et imitando, vt non imitatione naturam assecutus videatur, sed vere ab ea excitatus ceciniſſe. Accidit praeterea poetis, quod musicis in fingendis cum affectu diuersis modulationibus solet euenire, vt iidem affectus et perceptiones, quae, cum animum ad canendum impelleret poeta, verorum affectuum tantum erant imagines vel imitationes, exagitatione et feruore ad veros redigantur motus, tantusque perceptionum tumultus in pectore poetae oriatur, vt fictio omnis euanescat, ipsa potius natura vere adpareat. Haec vero percipi magis, quam literis et verbis exprimi possunt. Ταῦτα μὲν ὕστερον.

Tria

Tria sunt potissimum regna, vnde naturae imagines, quas sibi exprimendas sumsit, poeta petere possit, *naturae* videlicet, *affectuum* et *essentiarum*[9]). Sic vbi in primo Odarum charactere versatur, inferiori nimirum, elegantes amat imagines, et oblectantes praesertim, sed molliores et planiores. Qualem nobis hiemem pingit Horatius in odario illo ad Θαλιαρχον, S. Modimperatorem, veris adpropinquantis delicias in Oda ad Sestium et Torquatum 1, 4. 4, 7. all. Neque has imagines fugit Musa Ebraea; videtur potius, quae Dauidem animauit, iis praecipue delectari, et cum in pascuis fuerit quasi cum vate educata, etiam in illis carminibus, in quibus altius exsurgit, non abhorrere ab eiusmodi imaginibus. Irrigatos ita aquis, riuulisque limpidissimis agros videmus, plena gramine pascua, virentes arbores, collium flores et teneros agnorum greges in gramine exsultantes. Ex quo genere inprimis est Psalmus *sexagesimus quintus* et *vigesimus quintus*, in quibus

Picturae poeticae.

I. *Ex regno naturae.*

9) Gfr. *Breitingers Betrachtungen über die poetischen Gemälde.*

bus diuus vates dulciſſima prata repetit, vbi primos viridis iuuentutis annos transegerat. Ipſum, qui in his odariis regnat numerum, tanta lenitas comitatur, vt nihil eam ſuperare valeat. Ita v. 2. Pſ. 23.

בנאות דשא ירביצני
על מי מנחות ינהלני׃

In herbidis paſcuis facit, vt recubem
Ad aquas leniter fluentes, ducit me vt ſitim reſtinguam.

Pauca hic nobis monenda videntur, quae ad huius loci illuſtrationem faciunt praecipue. Quod ad lectionem attinet מנחות plene per ו ante ת legitur in Cod. MSC. XXXII. Bibl. Sorbonae. XXIX. Bibl. Reg. Pariſ. מנחות. XVIII. et XVI. Bibl. Reg. item in Codd. XXVII. et XLVIII. Sed in his lectio accommodata eſt hodiernae ſcripturae Maſſorethicae. Ceterum LXX. Interpretes מנחת videntur legiſſe et ו omiſiſſe, quod ab impreſſis codicibus abeſt. מי מנחות non *aquae* ſunt *requietis*, vti vulgo redditur, ſed *aquae placide leniterque fluentes*, et vt more poetarum loquar, *a Zephyris animatae*; quorum verborum ſenſum

sum Arabs mihi assecutus esse videtur, qui ita: على ماء الراحة *ad aquas refrigerii*; et Chaldaeus inprimis, qui omnino pro adiectiuo participii habuit illud מנוחות, dum per מי ניחיא *aquas tranquillas* exprimit. נאות loca sunt, vbi tentoria sua figunt Nomades, et recte itaque quodam loco interpretatur *R. Dauid Kimchi* per אהלי רעים *tentoria pastorum*, quae alias Ebraeis sunt חצרות. Sed caue tibi persuadeas, cum Arabis versionem في مكان خضرة legeris, eum ad hanc vocem respexisse. Siquidem خُضْرَة *viriditatem* significat, حَضَرَة vero vel حَاضِر *habitationem* in *vrbe*, quae vitae nomadicae est opposita. נהל rustica vox est, ex vita pastoritia desumta, quod nec Graecus vidit, nec Arabs. نهل apud Arabes de *aquae hausti* et *pecoris adaquatione* vsurpatur quod multis exemplis ex fontibus eruditionis Arabicae probauit doctissimus *Schultensius in originibus*, p. 222. et verbis praecipue *Gieuharii* in *Hamasa* ad *Carmen abulatae* v. 2. quo lectores nostros referimus. — Vt vero hae imagines ele-

gantiores sunt. neque nisi ex dulcissimis ortae animi perceptionibus; ita nec maiori, vel grauiori Odae admisceri possunt. Etenim vt in illis carminibus leniter fluunt omnia, ita in his vehementior quidam dominatur affectus, et aestu quodam poeta,

Monte decurrens, velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fertur, immensusque ruit: - - - -
Verba deuoluit, numerisque fertur
Lege solutis.

Num vero a sublimiori carminum genere prorsus alienae debent esse picturae poeticae? Minime, cum quidem sit notissimum, quantum ponderis, magnificentiae et splendoris poemati adiicere valeant eiusmodi imagines [10]). Verum hic diuersam omnino formam natura induit. Non dulce ridens est puella in pratis Arcadicis; sed regina est, vel Dea, auro gemmisque ornata, ipso Deorum apparatu sublimis vehitur. Eadem sunt iuga montium, et siluarum capita, non gregibus plena, vel nidulan-

10) Confr. Longinus περὶ ὕψις. Cap. 13.

lantibus, et suauites canentibus habitata auibus; sed quae ex antiquis mouentur sedibus, et aduentantis Dei terrore contremiscunt, vt est in sublimi Deborae ἐπινικίῳ, vbi adueniente Iehoua . . . . .

ארץ רעשה גם שמים נטפו
גם עבים נטפו מים
הרים נזלו מפני יהוה
זה סיני מפני יהוה אלהי ישראל׃

Terra contremuit et caeli quoque destillarunt,
Nubes quoque aquam destillarunt,
Montes diffluxerunt e conspectu Iehouae,
Hic Sinai, e conspectu Iehouae Dei Israelis.

Vbi praesertim vocabulum נזל admodum eleuat imaginem poeticam. Ex collatione enim radicis نَزَلَ est *descendere*, *diffluere*, et *caput demittere*, *submittere*. Quae binae significationes, quantum video, sublimem valde imaginem efficiunt [11]). Eosdem porro et montes videmus et valles, sed liquefactos, vt cera coram igne, sciſſos, vt

 aquae

11) Cfr. Reu. Rückersfelderi Sylloge Comment. p. 87.

aquae in praecipitium decurrentes, vt est apud Micham 1, 3. 4. Easdem ceruas amantium olim delicias, verum nec vbere pascentes, vel in pascuis exsilientes [12]); sed quae terrore altitonantis perculsae abortum edunt vti est Ps. 29. nec porro columbam, in his carminibus videmus amoris nunciam, vel querulas palumbes; sed —

. . . . ministrum fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aues vagas
permisit [13]).

Vn

12) Ceruas dico, amantium delicias, quibus tenellas et graciles puellas comparare solent orientales, cuius exempla plurima sunt in Eidyllio Salomonis: vnde et غزال de capreolis et puellis in vsu est. *Vide Lette Annot. ad Caab. p.* 100.

13) Ita apud Claudianum B. Gild. 476. Aquila Iouis dicitur

. . . . . fuluus tonantis
Armiger.

et a Mario ap. Ciceronem de Diuinat. Lib. I. *Iouis altisoni pennata Satelles.* Cum quo ad Horatiani huius explicationem conferri potest numus Graecus in honorem Βασιλεως Αλεξανδρου ap. *Iacob. de Wilde in Numis selectis antiquis.* III. 18.

Vnde satis apparet, tantum abesse, vt odae non conueniant, petitae a natura imagines, vt suo loco adhibitae, et oda dignis expressae versibus, potius sine carminis dedecore vix abesse valeant.

Alterum, vnde imagines poeticae petuntur regnum, *affectuum* est. Etenim vt in omni vita humana praecipue affectuum habenda ratio est, ita quoque in re poetica Affectus omnia animant, et veram tantum carmini sublimitatem valent conciliare; quibus neglectis sublimis oratio friget, et quod iis praesentibus grande erat et magnificum, tumor est, et τὸ μειραχιώδες, sine affectuum ministerio. Quapropter, ne in id vitium incidat poeta, quod in Aeschylo, aliisque Graecorum cauillatur *Longinus*, maxima cura et cautio adhibenda est. Stili frigidi, quo nihil fere risu dignius inueniri potest, origines haud alias tradit esse *Longinus*, praeter nouitatis studium, quo multi, suo tempore, scriptores laborauerint. Certe quidem, qui sublime genus scribendi affectantes, nouas effingunt et dithyrambicas dictiones, ad illud ψυχρὸν a *Longino* vituperatum, per-

II. *Ex regno affectuum.*

permultum conferre videntur; maxima tamen culpa in affectuum defectu consistit, quo fit, vt nemo *Pindarum* huius vitii arguat, quamquam sit διθυραμβώδεος refertissimus. Eiusmodi ratio est poetarum Gallicorum, qui antequam *Malherbius* ad sedatos et decentes mores reuocaret Musas, in veterum sibi, vel Graecorum vel Latinorum lectione, permagnam compararant sententiarum et verborum copiam, quibus praecipue splendet sublimis poetarum oratio: vt in verbis acquiescentes tantum, et affectus, qui soli vita sunt atque anima poeseos, negligentes, non enthusiasmum, sed παρενθύρσον, non elegantiam, sed insaniam in carmina sua inferrent. Imitetur itaque affectus naturae veros, et ita exprimat poeta, ac si eos metipsos in pectore percepisset. Hoc artis est, et in hoc excellunt praecipue poetae Ebraici. Sic nebulam moestis circumfundunt, pingunt admirantes corpore immobili, alto supercilio insolentes, pudorem demissis palpebris et suffuso rubore, timorem pallida facie, et artubus tremebundis, turgidam iram, inuidiam strabonem. Num ita vero, vt quaelibet, quae vel minima sunt exprimere sciat? Neutiquam puto,

puto, nisi εἰς τὸ μειραχιώδες velit incidere, et ipsi lectori nauseam mouere. Haud enim rari sunt affectus, quos prorsus pericillo exprimere nequeat poeta; vbi *Timanthem* imitetur necesse est, qui, *cum in Iphigenia pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Vlyxem addidisset Menelao, quem summam poterat ars efficere moerorem consumtis affectibus non reperiens, quo digne modo patris vultum posset exprimere, velauit eius caput, et suo cuique dedit aestimandum* [14]). Insigniora quaedam nobis exempla subministrat Dauides, in quibus adeo simulati atque expressi sunt affectus, vt legere nequeas, nisi eadem in pectore sentias; quae sensisse et percepisse videtur poeta. Audiamus eum Ionathanis, amici sui, interitum deplorantem [15]). Abruptum est elegiae exordium; non Deum inuocat, qui carmen animet; non Musas, vti lugubres nostri, quae absynthio misceant fontem Caballinum: Sed ne eum ipsum quidem cuius iacturam fecerat, ne montem quidem infaustum illum nominat;

14) Vid. Quinctilian. Lib. 2. Cap. 14.

15) 2 Sam. 1, 19. sqq.

sed in medias res, non secus ac notas, lectorem rapit:

הצבי ישראל על במותיך חלל.

16) *Delicium Israelis super excelsa tua cecidit.*

Abru-

16) Ita interpretor vi vocis Syriacae vbi est ܨܒ *disiderauit*, *delectatus est*. LXX legerunt הַצְּבִי *pone* a נצב *posuit*, *erexit*, vnde מצבת *monumentum* et ܢܨܒ *statua*. Hic illud interpretamentum σήλωσον i. e. στήλην τίθου necessario fluxit. Quod si paullo accuratius consideramus verba ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων faciunt, vt vere eos על ממתים על במותיך legisse tibi persuadeas. A qua lectione quam proxime abest interpretatio doctissimi *Kennicoti*, qui sub חלל *milites* intelligendos esse putat, vt sententia sit: *Monumentum pone, Israel, militibus super excelsa tua occisis.* Verum nec reliqui interpretes, nec ii quidem, qui ex Graeco suam versionem adornarunt, huic lectioni fauent. Ipsi praeterea LXX τὸ חלל reddunt: τῶν τραυματιῶν, vt non desit suspicio, quin vox τεθνηκότων glossema sit, post in textum versionis translatum, vt multa alia.

Abruptissimum initium, et sine omni apparatu; at lugubre adeo, et ex verissimis commoti pectoris perceptionibus ortum, vt nihil supra esse possit. Magnam, quam ipse, quam vniuersus populus iacturam fecerat, omnibus, tanquam rem ignotam, indicat: Sed non absoluit, conturbatus, et moerore attonitus, vix sibi, vix nunciis credit.

איך נפלו הגבורים

Quomodo Heroes ceciderunt?

Quid itaque poeta? Num iterata vice adstantes rogat? Minime: ipse potius moeroris tam graui pondere oppressus esse videtur, vt ne dubitationi quidem et incertitudini relictus locus esse videatur. Veros se tristitiae affectus sentire indicat, et quae animum vrgent nebulae, ipsum quoque carmen occupare videntur: omnes ideae adeo confusae sunt, vt, quam primum legat, ipse ignoret. A tristitia ad stuporem proruit, vnde generosa eum ambitio reducit et Philistaeorum memorem esse cogit:

אל תגידו בגת
אל תבשרו בחוצות אשקלון
פן תשמחנה בנות פלשתים
פן תעלזנה בנות הערלים׃

Ne annuncietis Gathae,
Ne ouantes annuncietis Aſcalonis in plateis;
Ne forte filiae Palaeſtinorum laetentur,
Ne forte tripudient filiae praeputiatorum.

Vnde iterum in querulum affectum incidit, et in ipſos Gilboae montes inuehit.

Poſſet cum hac oda comparari Horatiana in Quinctilium, quae ſane eſt lugubris valde, flebilis et humilis.

Quis deſiderio ſit pudor aut modus
Tam chari capitis?

Elegantiſſimum exordium, et ex veris animi affectibus ortum, et vere ex intimo plectoris loquitur, vbi optimi merita viri dolorifica voce exprimit:

Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Vrget? Cui pudor et iuſtitiae ſoror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando vllum inuenient parem?

Tamen

Tamen, qui accurate legerit, et cum Ebraeis Latina coniunxerit, in his artem, studium, et arte excitatos affectus, in illis vero naturam, et veros lugentium affectus, ipso neglecto ordine, inueniet.

Alio Psalmo [17]) cum exsul in deserto Iudae degeret, amoris, confidentiae, et desiderii sui affectum, quem erga Deum habebat, tam accurate exprimit, vt tibi vel ipsum Dauidem languore confectum conspicere videaris.

אלהים אלי אתה אשחרך
צמאה לך נפשי
כמה לך בשרי
בארץ ציה ועיף בלי מים:

O Deus! . . . . o mi Deus! tu es ad quem euigilo!

[18]) *Sitit tui desiderio anima mea*

Lan-

17) Ps. 63, 1.

18) Verba *sitim* indicantia, *desiderii* quoque significationem eleganti metaphora admittere amant. ظمي *sitire* est *valde desiderare*, et شرب *sitire*, *bibendi desiderium habere*, est *de-*

19) *Languet tui exſpectatione caro mea*
In deſerta et ſiticuloſa terra, aquis deſtituta.

Quos per totam odam affectus vario modo Deo cognoſcendos praebet. —— At quanta eſt iſta confidentia, hilaritate quadam et indignatione aduerſus inimicos coniuncta, quam in fuga exprimit, cum ipſe eum filius perſequeretur! Tanta eſt, vt non

deſiderio et cupidine flagrare. Sic quoque צמא Pſ. 42, 2. Quam nec graeci ignorant metaphoram: *Pindarus* nempe Nemeic. γ', 10.

Διψῇ δε πρᾶγος ἄλλο μὲν ἄλλου.

vbi recte vetuſtus Scholiaſta: Διψῇ δέ καὶ ἘΠΙΘΥΜΕΙ, ἄλλο μὲν ἄλλου πράγματος. ἡ δὲ φιλονεικίας ἔρις, ἡ ἀθλονεικία μάλιστα φιλεῖ τοὺς ἐπαίνους καὶ τοὺς ὕμνους. Vbi τὸ διψῇν vides per ἐπιθυμεῖν, et φιλεῖν explicatum. Quomodo eſt apud ipſum poetam, vt, quod in priori hemiſtichio διψῇ dixit, in ſequenti per φιλεῖ expreſſerit. Ἀεθλονεικία δὲ μάλιστα ἀοιδὰν φιλεῖ. Sic Ἄργος πολυδίψιον Iliad. δ', 171. a Didymo non ſatis ex re explicatum.

19) כמה de *corporis languore* vtuntur Ebraei. Arabes de deſiderio, et oculis praeſertim. كمه *exſpectauit caligarunt oculi.*

non legere, sed videre et animo percipere tibi videaris.

אני שכבתי ואישנה והקיצותי
כי יהוה יסמכני׃

Ego cubui et dormiui, et experrectus sum,
Iehoua enim dextram mihi suam suppossuit.

Vbi non verbum fere leges, quod non optima imagine exornatum sit: et omnia adeo sunt conferta, vt ne vnicam quidem literam; inde detrahere possis. *Ego cubui* inquit, *et dormiui, et licet iam timerem, ne haec nox postrema mihi futura sit, quae ad inferorum tenebras me demitteret, tamen nocturnis superatis terroribus, aurorae lucem adspicio; Iohoua enim brachium mihi suppossuerat, in in cuius amplexibus tutissime noctem peragerem.* Hinc laetitia quadam et paene superbilus orationem persequitur:

לא אירא מרבבות עם
אשר סביב שתו עלי׃

Non timeo Myriadas plebis [20])
Quae circum circa me obsident.

et

20) Cur plebis hic mentionem faciat, historia probabit facile, 2 Sam. 17, 11.

et ipsum sibi amicum Deum alloquitur, vtique sibi, cui vel alias saepe tulerit auxilium, subuenire velit, precibus quasi suis excitat.

קומה יהוה הושיעני אלהי
כי הקית את כל אויבי לחי [21]
שני רשעים שברת׃

Exsurge Iohoua, salutem mihi praebe, mi Deus!

Maxillam enim inimicorum omnium meorum percussisti:

Dentes iniustorum confregisti.

III. *Ex regno Essentiarum.* Ad tertium porro genus picturarum poeticarum, quod regnum Essentiarum est accedimus. Prima hic oritur quaestio, qui, cum corporibus haud praedita sint obiecta ex hoc regno petita, eadem pericillo quasi exprimi, et oculis

21) לחי. LXX. reddiderunt ματαίως, cum quibus et Arabs consentit بالبطل quasi esset ריק *vane*, vti Ps. 2, 2. Sed verisimile est, eis in mentem venisse vocis لخى quae ap. Arabes *Vanitatis* significationem habet.

lis nostris subiici valeant? Illud quidem certissimum est πνευματικὰς naturas nullis a pictore coloribus, vel verbis a poeta exprimi posse; tamen neminem fugit illud commercium, quod cum corporibus habent spiritus, et ars ista, quae imbecillitatem linguae mortalium quodam modo corrigere potest. Illud nempe vitii innatum est hominibus, vt ab ineunte aetatula obiectis sensualibus occupati, ea tantum lingua exprimere possint, quae ipsos sensus tangunt; quae supra sunt, animo quidem concipere, et cogitationum intensione admirari, sed mortali sermone explicare nequeant. Quo fit, vt vel summus artifex, vel νοῦς εἰς θεοὺς ἀεχθεὶς, quae mens concipit et voluit, cogitationibus transformet, et corpore, tanquam vestimento induta, oculis videnda sistat. Eiusmodi picturarum ratio est ex regno essentiarum, quae affectuum est, de quibus modo diximus. Namque vt poeta ea pingere et verbis exprimere potest, quae in intimis praecordiis versantur, ita quoque ex caelo Deos, a Plutonia inde domo, et descriptis piorum sedibus in terram vmbras reuocare, oculisque nostris videndas praebere potest, caligine nebulisque inde dispulsis,

sis, quas ii alioquin videre possunt, qui praediti sunt Deorum luminibus. Quare Minerua ap. *Homerum.* [22]).

Ἀχλὺν δ' ἀΰ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἔλονὴ πρὶν ἐπῆεν
Ὄφρ' ἐῢ γινώσκοις ἠ μὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Vt vero duplicis sunt generis picturae affectuum, quae molliores videlicet exprimunt affectus, ab iis valde diuersae, quae grauiores pingunt in essentiarum delineatione, pro Odae ratione et diuersitate diuersos quoque colores tabula habere debet. In iis hercle picturis, quae sublimia non tractant, haud contenti sumus, vt videamus omnia: cernere optamus potius, atque omnibus ex partibus absoluta imago esse debet: qualis est nocturnus Phoebi aduentus apud *Tibullum* Eleg. Lib. 3, 4. — Vbi vero maiora tractantur, vel primas tantum lineas dedisse sufficit, quae reliqua sunt ipsa lectoris φαντασία absoluat. Nescio sane, quos in hoc genere feliciores praedicem, Ebraeorum et Ara-

22) Iliad. ε' 127. Vbi videsis Didymum et locum Aristidis in Panathen. quem excitat *Iosua Barnesius*.

Arabum, an Graecorum potius et Latinorum poetas? Etenim vti horum numina, dii, geniique ab ipsorum theologis et mythographis humana forma induuntur, eoque melius pingi valent; ita nullus fere in his apparatus est poetis Ebraeorum, vt nubilo potius ac tenebris obuelanda eis omnia sint, quam verbis exprimenda, oculisque hominum reuelanda. Re tamen bene considerata, hoc ipsum mihi visum est, sublimitatem et dignitatem valde eximiam poesi Ebraeorum conciliare, et simul indicare τοῖς ὑψίσοις destinatam esse poesin Ebraicam. Horatius poeta, et poeseos praeceptor, vbi in grauioribus carminibus, vel Deos canit, vel Deorum mentionem facit, lineas tantum imaginum duxisse contentus est, vtique humum vitat fugiente penna, ita quoque, vbi grauiora et abrupta debent esse omnia, eas essentiarum picturas studiose fugit, quae plene absoluuntur. Sic Lib. I. Carm. 34. cui nemo eximiam sublimitatem abnegabit, cum pro theologiae Romanae, tum tabularum ratione, multo longiorem et absolutiorem nobis ante oculos ponere potuisset tonantis imaginem; non pingit tamen accurate, sed lineas tantum quasi ducit, tanta-

que omnia ornat maiestate, vt nihil eam excedere, vel superare possit:

— — — — *Diespiter*
Igne corrusco nubila diuidens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

Quanta, et quam egregia breuitas! quanta sublimitas! Numen quidem se vidisse indicat, sed quasi numinis maiestate repulsum et perterrefactum fuisse tacite innuit. Eandem Iouis tonantis imaginem, ad Idam montem descendentis, Homerus quoque habet; verum nimis exacta pictura est. Iliad. Θ', 41. sqq.

— ὑπ' ὄχεσφι τετύκετο χαλκόποδ' ἵππω
Ακυπέτα χρυσέῃσιν ἐθείρῃσιν κομόωντε.
χρυσὸν δ' αὐτος ἔδυνε περὶ χροΐ. γήντο δ' ἰ-
μάθλην
χρυσείην ἔυτυκτον ἐοῦ ἐπιβήσετο δίφρου.

Quae quidem Iouis descriptio admodum elegans, tamen, si quid video, ad illam Horatianam non accedit, et carminis epici rationibus tantum probari valet. Multo sublimior est ista imago Ps. 97. vbi Iouam, tanquam totius orbis terrarum regem et

mo-

moderatorem inducit: pingit quidem, et distinctissimis coloribus, sed adeo pressa omnia sunt, grauia et sublimia, vt sine carminis detrimento, ne vnicam quidem litteram detrahere possis.

יהוה מלך תגל הארץ
ישמחו איים רבים:
ענן וערפל סביביו
צדק ומשפט מכון כסאו:
אש לפניו תלך
ותלהט סביב צריו:
האירו ברקיו תבל
ראתה ותחל הארץ:
הרים כדונג נמסו מלפני יהוה
מלפני אדון כל הארץ:

Iehoua rex factus est [23]) *exsultet terra*

23) De Christo hunc Psalmum explicat Diu. Paulus in epistola ad Ebraeos 1, 6. Et licet, quae ibi ex hoc carmine excitata verba sunt, ita sint comparata, vt non minus de triumpho, quo Deus simul se et hostium, hostiumque *Deorum* victorem praebuerit, intelligi possint; tamen non video, quid impediat, quo minus commode de Christo possit explicari. Malim itaque illud מלך, *rex factus est*, de reditu Christi ex mortuis, quo si-

Laetentur littora marium, [24]) *plurima*
[25]) *Nubes et densissima caligo circa eum,*
Iustitia et iudicium est fundamentum solii eius.
Ignis [26]) *ante faciem eius praecedit*

Et

simul se triumphatorem, idolorum victorem et deturbatorem, et filium Dei comprobauit, intelligere. Ps. 2, 7. Ebr. 1, 5. Syriace ܡܠܟ est, *consulere*, Arabibus ملك *inungere inaugurare regem.* Adde 2 Sam. 16, 8.

24) איים sunt *littora maris orae maritimae.* Arab. أَوَى *recepit se, diuersatus est.*

25) Talem etiam Graeci fingunt Iouis absconditam, et nubibus tectam sedem. Hinc iis dicitur κελαινεφές ἄιθερι ναίων, et Ps. 18, 12. ישת חשך סתרו. Anne hinc fortassis Cabbalistarum opinio, de א primo, obscuro et in se contracto, quo nomine Deum vocant ante lucis originem in creatione, quae magnam habet cum prima nocte veterum philosophorum cognationem, profecta est?

26) Sublimis sane imago! quo enim digniori modo, fulgetrium Iouam pingens, eum describere potuit, ac dum ipsum ignem Ditis quasi viatorem facit? quo fulgura merito re-

Et circum circa hostes flamma corripit.
Illuminauerunt fulgura eius orbem,
Vidit terra et contremuit.
Montes cerae ad instar diffluxerunt a facie
Iouae,
A facie Domini totius terrae.

Iudicent, qui magna sentire possunt de maiestate huius carminis. — Diximus paullo ante, valde exiguum esse Ebraeis apparatum mythologicum, vnde multas sane et valde elegantes imagines Graeci poetae petere solent et Latini: neutiquam tamen eis omnes ex mythologia petitas imagines et poeticas picturas abnegare possumus, cum exempla loquantur pro rei veritate quam plurima. [27]). — Potissimum Odarum Dauidicarum obiectum Deus est, quem et saepissime pingit; sed tanta vere-

referuntur grauistreperi Dei comites. Huc pertinet locus Corani Surat. 3, 119. vbi angeli Dei مسوّمين *signati* vocantur. Sed de hisce nominibus alio loco fusius erit differendi occasio.

27) Vide *Michaelis ill. Epimetron ad Lowthum de sacra poesi Ebraeorum*, p. 181.

cundia et obseruantia, quam nihil facile superare potest. Ita Ps. 104. maiestatem Iouae eiusque splendorem descripturus, ita fatur:

יהוה אלהי גדלת מאד׳
הוד והדר לבשת׃
עטה אור כשמלה׳
נוטה שמים כיריעה׃

Iehoua, mi Deus, magnificus fuisti valde,
Maiestatem et gloriam induisti.
Induit lumen sicuti vestimentum,
Expandit caelos tanquam cortinam.

Vbi magis e longinquo admiratus esse, quam prope considerasse videtur Dei maiestatem. — Doct. Lowth, qui hunc locum adducit, verbum לבש, *in amictu sacerdotum sollemne*, ex eodem hoc ritu induendi sacerdotes petitum esse putat, quod simul ab *illustr. Michaelis*, reiectum est in notis. Addo tantum frequentissimam esse metaphoram omnibus fere gentibus probatam. Sic Statius in Thebaid. 8, 392. et Silius Ital. 1, 38. dicit. *induere iram.* Arabes et Ebraei *induere fortitudinem, cingi fortitudine.* etc. Quod ad vltimum versiculum, accurate re-

respondet Corani Surat. 2, 11. الله الذي جعل لكم الارض فراشا والسماء بناء *Deus est, qui vobis dedit terram stratum et caelum cortinam.* יריעה *Cortina* est a ورع *prohibuit.* Cortinam enim in Oriente super impluuiis expandere solent, ad arcendum calorem solis vel pluuiam; quare et eleganter vertit Arabs. خبية *Cortina, velum.* خام *expandit velum pluuiae arcendae, vel vmbrae captandae caussa.* — Referenda sunt hic inprimis ea loca, in quibus angelorum, tanquam ministrorum Iehouae mentio facta est. Nihil fere in vniuerso codice sacro adeo remotum est ab oculis nostris et inuolucris tectum, atque ipsi angeli. Qui Cherubim, quiue Seraphim fuerint, vndeque eos petierint Ebraei, tantis tenebris inuolutum est, vt ne quidem horum nominum etymologiam, nisi coniecturis assequi possimus: et quae cunque de his, vel τεκμηρίοις vel σοχασμοῖς eruimus, nihil fere praeter argumenta admodum infirma continent. Tantum tamen abfuit, vt ex hac obscuritate detrimentum caperet poesis Ebraica, vt prodesset potius, et maiestatis aliquam speciem praeberet eorum

poesi. Etenim vti omnia, quae nostris oculis quadam sanctitatis specie detrahuntur, aestimationem quandam eis parere solent: ita quoque horum numinum sancta et mysteriosa occultatio, splendorem eis quendam conciliauit, nobis simul erga ea venerationem inspirans. Ex quo factum puto, quod nunquam ferme ea numina, nisi si in poematibus summae sublimitatis apparere videas. Hinc in sublimi odario 104, 4. ventis et flammis igniferis comparantur: alibi sunt turbines, tonitrua, fulmina, ipsa denique vox Dei [28]): vnde et notissima ista apud Iudaeos inualuit traditio, Iehouam in monte Sinai, ministerio angelorum, legem promulgasse. Sed ad alia progredimur.

Genera poeseos lyricae. Tria potissimum sunt genera poeseos lyricae, quae *sublimem*, *remissiorem*, et *planam* denique, siue humilem odam constituunt. Fuerunt quidem, quibus sufficere visum est, vniuersae poeseos lyricae duo tantum genera constituisse: ne-

28) Ita quoque explicanda sunt, quae Surat. 3, 119. Corani de الملئكة مسومين *angelis signatis* leguntur.

neque prorsus improbanda sententia est, si quidem Graeca tantum et Latina carmina spectamus. Namque etsi plures sint Horatii odae, quae ad medium characterem referri possent; tamen ita sunt comparatae, vt maiori fere iure vel ad sublimia, vel ad planiora carmina reduci possint. Idem quoque sentiendum est de Pindari, Callimachi, Anacreontis, aliorumque carminibus, quae vel ad summum, vel ad infimum lyricae poeseos characterem pertinent. Quodsi vero et orientalium poeseos habenda ratio est, Ebraeorum et Arabum (nam ex omni Syrorum poesi, quantum scio, nihil ad nostram aetatem peruenit, praeter cantilenas quasdam ecclesiasticas, sane immemorabiles, neque cum illis componendas); tertius inde exsurgit character a ceteris diuersus et caute distinguendus. Quatuor carminum genera, Ramlerus in elegantissimo libro, qui inscribitur, *Einleitung in die schönen Wissenschaften*, Tom. 3. p. 25. 26. constituit, ad primum genus *Hymnos* referens, quibus poeta, diuino enthusiasmo excitatus, summi numinis magnitudinem, potentiam et sapientiam admiratur, ex quorum numero sint cantica Moysis, Prophetarum,

et Psalmi Dauidis. Recte quidem horum carminum originem admirationem vocat, recte enthusiasmum (ita enim vocem Germanicam Entzückẽ accipiendam esse puto, quae si de voluptatis affectu hic intelligeretur, non primo, sed vltimo potius characteri tribuenda esset) eam animi perceptionem facit, qua perfusus poeta ita canit: Recte denique Moysis et Iobi poemata huc referuntur; quae vero prophetarum carmina lyrica intelligat, prorsus ignoro: neque hoc de omnibus Dauidicis carminibus affirmari posse, infra demonstrabimus. Alterum dicit genus esse heroicorum carminum, ex quorum numero sint *Pindari* omnia, *Horatii* quaedam, *Malherbii* et *Rousseauii*: Quodsi vero primas lyricae poeseos origines repetimus, et ipsas odarum heroicarum dictiones, figuras, imagines, mutationes denique examinamus, nihil sane in eis deprehendimus, quod hymnis quadam ratione dignum haberi nequeat, dum ipse modo heros sit carmine, et poeta poetae nomine dignus, neque ad eos referendus, quibus Sulla olim praemium conferebat, *ne quid posthea scriberent* [29]).

Nam-

29) Vide Cicero. Orat. pro Archia. Cap. 10.

Namque vti risum certe excitaret et βατραχομυομαχίαν scriberet, qui res exiles heroico carmine celebraret, vtique ex his diiudicari debent, quae vere sunt heroica; ita nec ex leuioribus hymnis de vera hymnorum natura iudicium ferri potest. *Tertium* genus est omnino διδακτικον, talibus nimirum in animo poetae excitatis perceptionibus, quae virtutis praestantiam aestimationem et amorem, vitiorum vero deformitatem, despectum, odium, sibi habeant propositum. Vnde nouum omnino carminum genus existere debet, quod quidem quoad grauitatem praestantius et sublimius eo est, quod proxime sequitur, et cum homines ad veram felicitatis viam et communionem cum Diis immortalibus consequendam perducit, ad heroicum carmen quam proxime accedit, verum ratiociniis non nunquam commixtum et tardatum, eam rapiditatem, eumque affectum minime habere potest, quo condecorati, primum omnino gradum ὑμνοι occuparunt et ἡρωικα poemata. *Quartum* genus inter voluptates natum esse dicit, et celeres exprimere laetitiae affectus, quibus pectus exuberet, ex quorum numero sint Anacreontica, magna pars odarum

rum Horatii, et ex noſtro aeuo Gallorum carmina pleraque omnia. Accurate autem conſideranti hanc carminum diuiſionem, obſcurum eſſe nequit, cum primi, tertii et quarti generis diſcrimina videat ex ipſis affectibus deriuata, alterum nomine tantum differre, et ex nominis diuerſitate carminis quoque diſcrimen petitum eſſe. Quodſi vero hanc rationem inire cuperemus, nobis, puto, pro nominum diuerſitate carmina diſtingeuntibus, vix quidem ſufficere quartenarium numerum. Res ipſa et natura poemata debent diſcernere, et ſecundum hanc regulam, omnem lyricam poeſin tribus generibus abſoluimus, quae *ſublimia*, *remiſſiora*, et *humilia* carmina efficiunt.

Odae ſublimes, ſeu characteris primi.

Diximus iam primo omnem odam ex affectibus originem ſuam habere, eosque inprimis animum ad carmina incitare, qui admirationem noſtram commouere valent. Ex quo efficitur, eo ſublimius carmen eſſe oportere, quo maior eſt in nobis admirationis affectus. Atque hic animum noſtrum praecipue numinis aeterni magnitudo inflammat, cui nobis cum ſimul totum vniuer-

vniuersum originem suam debet, mentesque ita nostras occupat, vt attoniti abyssum spectantes nostram admirationem, et quae in pectore versantur cogitationes verbis exprimere audeamus. Cuius admirationis vim, inter omnia Ebraeorum poemata longe sublimiori, *Iobus* his verbis expressit, vbi Iouam ipsum ita loquentem inducit:

אפה היית ביסדי ארץ:
— — — — —
ברן יחד כוכבי בקר
ויריעו כל בני אלהים:
ויסך בדלתים ים
בגיחו מרחם יצא:
בשומו ענן לבשו
וערפל חתלתו:

Vbinam fuisti cum terram fundarem!
— — — — — —
Cum stellae matutinae simul canerent,
Et omnes filii Dei iubilarent!
Quis foribus mare cohibuit,
Cum erumperet ex vtero proditurum?
Cum nubibus mare vestirem,
Densissima caligine sicuti fasciis? etc.

Na-

Naturam porro noſtram conferentes cum ſummi numinis eſſentia et natura, quam perfectiſſimam eſſe etiam ex contemplatione rerum minutiſſimarum, quas creauit, cognoſcimus, deprimimur et ad laudes eius excitamur. Tanta enim eſt mens diuina, adeoque immenſa, vt nouos et nobis plane adhuc ignotos ſenſus pater omnipotens creare debeat, quibus eius immenſam magnitudinem conciperemus. Quare etiam Dauides: Eiusmodi tui eſt cognitio, inquit, quam ſacro ſtupore quodam conſidero, adeoque eſt admiranda atque ſublimis, vt eam prorſus comprehendere nequeam: quibus verbis ſublime carmen 139. incipit.

אנה אלך מרוחך
ואנה מפניך אברח:
אם אסק שמים שם אתה
ואציעה שאול הנך:
אשא כנפי שחר [30])

אשכנה

30) Sed in כנפי pro ſuffixo habuere *i.* LXX. Arabs et Vulgata, quibus *Lowthus* addit Syrum omiſſo Arabe. Placuit Lowtho haec lectio. Sed cum vulgata lectio elegans ſatis eſt, et ab aliis confirmata, nihil mutandum ar-

אשכנה באחרית ים:
גם שם יך תנחני
ותאחזני ימינך:
ואמר אך חשך ישופני
ולילה אור בעדני:
גם חשך לא יחשיך ממך
ויולילה כיום יאיר
כחשיכה כאורה:

Quo abeam a spiritu tuo?
Et quo fugiam a facie tua?
Si caelum petam: ibi tu es!
Et in orco cubem; ecce te!
Attollam alas aurorae,
Demittam me in extremo mari:
Etiam illic manus tua me ducet,
Et dextera tua me prehendet.
Etiamsi dixero: tenebrae me occultabunt;
Ipsa tamen nox, lux est circum me;
Etiam tenebrae me a te occultare nequeunt,
Et nox lucida est sicut dies,
Tenebrae et lux aequales sunt.

Magna

arbitror. Pulcrior imo est pictura, qua alas attollit celeres adeo, atque aurorae pennae sunt: quae et Graecis in vsu imago est, quibus aurora χρυσόπτερος, καὶ φοινικόπτερος Ἠὼς saepissime dicitur.

Magna sane inest huic loco sublimitas, et vniuerso Psalmo, vt fere dubitem, quin sublimiorem de hac materia habeat vniuersa poesis Ebraica. Tamen eum cum nostro conferamus:

O Ewigkeit, wer misset dich! —
Vor dir sind Menschen nichts, und Welten
Augenblicke!
Vielleicht die tausendste der Sonnen wälzt
itzt sich,
Und tausend bleiben noch zurücke.
Wie eine Uhr, beseelt durch ein Gewicht,
Eilt eine Welt durch Gottes Kraft beweget:
Die Uhr läuft ab, und eine andre schläget,
Du aber bleibst, und zählst sie nicht.

Et paullo post, vbi plenus affectu suam admirationem indicat:

Ich häufe ungeheure Zahlen, Gebirge Millionen auf,
Ich häufe Zeit auf Zeit, und Welt auf
Welt zuhauf,
Und wenn ich von der grausen Höhe,
Mit Schwindeln wieder nach dir sehe,
Ist alle Zahl, vermehrt zu tausend malen,
Noch

Noch nicht ein Theil von dir,
Ich zieh sie ab, und du liegst ganz vor mir.

Vere haec ἐκ φρενῶν μυχοῦ, vti Graeci dicunt, originem suam habent. Omnia hic sunt grauia et intensa; tanta est maiestas, tantus aestus et verus enthusiasmus, vt nihil diuinius reperiri possit, vereque de poeta dici potest, eum πολύνοιαν μᾶλλον, ἢ πολυλογίαν ἀσκῆσαι.

Tametsi vero certissimum est, diuinam naturam, quam nostris cogitationibus assequi plane nequimus, resque eas, quas veneranda caligo a nostris oculis remouet, apprime aptas esse ad enthusiasmum in nobis accendendum; ipsa tamen generosa facinora, quibus sese insignem fecit, nobisque se cognoscendum Deus tradidit, admirationis affectum in nobis excitant vehementer. Admirabundi spectamus: cor incalescit admirantis, animusque vltro sese, affectuum aestu abreptus, in summi numinis laudes effundit. Atque hic fieri omnino nequit, quin eiusmodi carmina, quae vulgo ὕμνους dicimus, maxima sublimitate sint praedita, et regio quasi ornatu condecorata splendeant. Etenim cum ipsum obiectum reliqua omnia

longe superet, quae alias cunque a poetis celebrari possunt, omnisque praeterea affectus ad carmina fingenda necessarius, non arte semper effictus, sed in pectore plerumque vere natus esse soleat: summa quoque conceptuum sublimitas, grande dicendi genus, audacissimae figurae, exquisitissimae imagines inde necessario oriuntur, omniaque vi quadam, atque impetu affectuum plena esse conspiciuntur. Hinc Ps. 114. Expeditionem Dei descripturus, Abrahamidas ex Aegypto educentis, quantum valeat sublimitate dicendi poeta praestitit: ipse videtur

. . . . . μάσιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα

capere, equisque concitatis in hostium phalangas irruere. Vniuersam hic naturam commotam fingit, prosopopoeia, qua sane praestantius nihil potest reperiri.

הים ראה וינוס
הירדן יסב לאחור:
ההרים רקדו כאילים
גבעות כבני צאן:
מה לך הים כי תנוס
הירדן תסב לאחור:

ההרים

הָהָרִים תִּרְקְדוּ כְאֵילִים
גְּבָעוֹת כִּבְנֵי צֹאן׃
מִלִּפְנֵי אָדוֹן חוּלִי אָרֶץ
מִלִּפְנֵי אֱלוֹהַּ יַעֲקֹב׃

Vidit mare atque profugit,
Iordanes conuersus est retro:
Montes subsiluere ad instar arietum,
Colles, vt pulli ouium.
Quid tibi, o mare, quod ita fugeres?
Tibique, o Iordanes, quod terga dares?
Montes, quod exsultaretis, vt arietes?
Colles, vt pulli ouium?
A Conspectu Domini contremuit tellus,
A Conspectu Dei Iacobi.

Refertissimi sunt hac sublimitate Psalmi Dauidici, vbi modo vniuersa natura, diuinae potentiae et maiestatis testis inducitur, modo Abrahamidarum fata occasionem poetae praebent ad Iehouae gloriam celebrandam, cuius sub imperio omnia ita gesta fuerint, vt summa inde, et omnem mortalis oris eloquentiam superans prouidentia eluceat, vt Ps. 68. 103. 104. 105. qui hymni simul sunt et epinicia. A semetipso, suisque periculis occasionem interdum sumit,

vti Pſ. 18. aliisque compluribus, quos tamen apparatu egregio hymnorum nonnunquam exornat. Qua in re cum ſacris poetis valde conſpirant, quos profanos dicere conſueuimus. Etiam ab his Dii celebrantur, et tanta quidem commoti pectoris exuberantia, verborumque magnificentia, vt clariſſime inde eluceat, ad ſublimes componendum Odas, nihil magis accommodatum eſſe, ipſis Deorum operibus. Ex quo genere ſunt Horatii ad Apollinem Lib. 4. Oda 6. 3, 4, et 5ta libri tertii, et Carmen ſaeculare, quibus nemo maieſtatem abnegabit Dauide quoque non indignam.

Quodſi vero vim et poteſtatem ita canendi, vt plena feruore, rapidiſſimo curſu, diuino excitata impetu oda feratur, arctis adeo limitibus obsepire velimus, vt ſolis hymnis conueniat, a veritate longe alieni eſſemus. Etenim, vt omnes res maioris momenti ponderiſue, quod ipſi mecum poetae affirmabunt, admirationem noſtram adeo excitant, vt verſibus intimas cordis perceptiones exprimere audeamus; fieri omnino nequit, quin virorum magnorum res fortiter geſtae eundem in nobis affectum pariant, quem Deorum opera in animis

mis nostris creare solent, vt hymni, simul et heroica carmina, ad vnam eandemque speciem poeseos lyricae suo iure referri possint. In vniuersa poesi Ebraica valde exiguus est odarum heroicarum numerus, quod, quae ab aliis gentibus fortissimis ducibus tribuuntur, poesis Ebraica, Deo tribuere solet, vti iam supra a nobis demonstratum est. Tamen, qui vel Graecorum vel Latinorum heroicas odas, cum hymnis studiose conferunt, facile inde perspicient, eas non minus ac ἐπινίκια, non solum aequali cum hymnis maiestate splendere, verum ipsos hymnos interdum superare. *Pindarus* itaque Diis ipsis heroas aequare solet, a quibus cum origine, tum virtute et rebus fortiter gestis haud valde sint remoti. Maiorem enim honorem haud nouit antiquitas, quo virtutem afficeret, nec maiorem stimulum, quo alios ad virtutem incitaret, quam si facta fortium virorum consecrans, ipsos eos Diis superis et concilio Deorum insereret. Quare *Pindarus:*

31) Ἓν ἀνδρῶν ἓν θεῶν γένος· ἐκ
μιᾶς δὲ πνέομεν

31) Nemeic. 5.

ματρὸς ἀμφότεροι.
διείργει δὲ πᾶσα κεκριμένα
δύναμις, ὡς τὸ μὲν οὐδὲν.
32) ὁ δὲ χάλκεος ἀσφαλέι ἀεὶ ἕδος
μένει οὐρανός· ἀλλά τι προσφέρομεν
ἔμπαν, ἢ μέγαν νοὸν ἢ-
τοι φύσιν ἀθάνατοις.

Et Horatius Herculi comparat Auguſtum ſuum, vti

Herculis ritu modo dictus — —
Morte venalem petiiſſe laurum
Hiſpana repetit penates,
Victor ab ora.

Modo cum ipſo Ioue componit, et Auguſti idem eſſe in terris imperium poſt victoriam de Perſis ac Britannis, quale Iouis ſit in caelo, debellatis gigantibus:

Caelo tonantem credidimus Iouem
Regnare: praeſens diuus habebitur
Auguſtus, adiectis Britannis
Imperio, grauibusque Perſis.

Modo

32) Ita *Heſiodus* quoque de hominibus.
— πάντων ἕδος ἀσφαλὲς ἀεὶ γαῖα.

Modo soli comparat, omnem terrarum orbem suo lumine illustranti, suoque calore animanti, sancteque a ciuibus cultis penatibus adscribit:

Lucem redde tuae, dux bone, patriae.
Instar veris enim vultus vbi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores;
Hinc ad vina redit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum.
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, et laribus tuum
Miscet numen, vti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Sed quid plura exempla attulisse iuuat? Quisque enim facile videt, vnum omnino idemque esse odarum heroicarum et hymnorum obiectum, easdem origines, idem dicendi genus, eosdemque affectus in vtrisque versari, eodemque iure heroicas quoque odas cum Hymnis, superum Ἄσμασι, ad primum poeseos lyricae characterem referri posse.

Odae Characteris secundi.

Hactenus in primo atque summo poeseos lyricae charactere versati sumus, vbi maximam sublimitatem, summam poetae audaciam, concitatos animi affectus, cogitationum grauitatem et aestum, et fortissimas denique imagines deprehendimus. Alterum quod nunc tractamus odae genus, quodque διδακτικὸν commode vocari potest, non ornamentis solum poeseos, sed ipsa sui natura a primo charactere valde differt. Singulare est Ebraeis huius poeseos genus, ab odis didacticis diuersum, quod משל vocant a parabolis nimirum, quibus sententias vestitas producebant, vnde et امثال *similitudines*, *fabulas* et *carmina didactica* Arabes dicunt. Vtrumque quidem genus poeseos didacticae reapse inuicem non differt, cum ad veritates ducat, stilo a prosa valde diuerso, verum exterior facies in vtroque genere diuersa valde est. In משלים est summa breuitas, maximaque concinnitas: creberrimae, quin et perpetuae fere parabolae, non absente obscuritate et aenigmatico dicendi genere, quod praesertim summo studio aucupari videntur, et in quibus rebus praecipuus horum poematum character positus est. Sed

ab

ab hoc genere, multum absunt odae didacticae, quas suo iure משכיל Ebraei vocare consueuerunt. Breuitas quidem est in his, sed sublimitate condecorata: concinnitas, sed elegans gratiarumque plena: imagines, dictionesque poeticae, sed metaphoricae magis, quam aenigmaticae. Omnia clarissimis luminibus praedita sunt, siue regia veste, purpura atque auro decora, gressuque grauitatem exprimens, siue leuiori puellarum vestitu, bene comta, ῥοδίνοισι στεφανίσκοις πεπυκασμένη, incedat oda didactica. Fabula et fictiones (μῦθος, ποίημα) tam arcto alias vinculo cum poesi coniuncta sunt, vt poeseos nomen audientes de fabula simul cogitemus, vtique ipsi plerumque affectus efficti arte sint, maximumque pretium in verisimilitudine habeant. Hic vero veritate ipsa, non fictionibus poeta ducitur. Necesse est, vt in aliis poematibus, imaginatione concitata, materiam sibi poeta effingat, secundum leges incitationis, eamque ceu nouam Pandoram omnibus Deorum muneribus exornatam in conspectum hominum faciat prodire. Hic vero omnis poematis materia iamiam adest ab ipsa veritate producta: poetae tantum est, eam vestire,

omnique splendore et amoenitate pro carminis ratione condecorare. Quo fit, vt totum hoc poeseos lyricae genus ita sit comparatum, vt singularem characterа, eumque, qui medium teneat, inter primum et tertium, constituere debeat. Etenim vbi ab ipsa veritate poeta ducitur, et materiam iam a veritate inuentam deprehendit, pro suo lubitu agere nequit, quod ei permissum tantum est, qui ipse fingit; potius pro materiae ratione ita instruit omnem sermonem, vt modo ad primum adscendat, modo ad tertium characterа se demittat, media tamen seruata via, quae huic generi quodammodo propria est. Ferme vti *Pindarus* canit Olymp. Θ', 33.

Ἐγὼ δέ τοι φίλαν πόλιν
μαλερᾶις ἐπιφλέγων ἀοιδαῖς,
ἢ ἀγάνορος ἵππου θᾶσσων
καὶ ναὸς ὑποπτέρου, πάντα
ἀγγελίαν πέμψω τάυταν,
ἢ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ
ἐξαίρετον χαρίτων νέμομαι
κᾶπον· κεῖναι γὰρ ὤπασαν
τὰ τερπνά.

At

At vero si, quod paullo ante perspeximus, omnis poesis lyrica ex affectibus, admiratione inflammatis, originem trahit; si fictio poetam facit, eumque vbicumque comitatur: num διδακτικὴ oda, quam nunc tractamus, verum poeseos nomen obtinere, sibique attribuere potest? Animos instruendi formandique negotium poeticae dicendi rationi conuenire facile concedimus, quippe quae maiori praedita est loquendi libertate, neque iis perisselidibus vincta, quibus poeticum dicendi genus constrictum est. — Nemo tamen prohibet, quin poeta, quod in sua potestate positum est, istas quoque veritates, quas sibi tractandas sumsit philosophus, veneribus quoque poeseos possit exornare.

ἄμαχον — κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος.

An ipsum vero poema fabulis et fictionibus adeo refertum esse debet, vt omnem veritatem effugiat? Vix credo; potius omnia poetarum commenta omne pretium, assensumque omnem amitterent, nisi arte poetarum omnia ita contecta essent et occulta, vt quae sua natura falsa et ficta sunt, maximam tamen habeant veritatis suspicionem.

Quis

Quis autem eam vim mouendi lectores, eam pulcritudinem, quae omnibus placet, veritati abnegaret, quam fabulae facile concedimus, quantocius veritatis specie tecta quasi atque vestita est? Tamen nec a fabulis prorsus aliena est poesis didactica. Vti enim sententias et παρεκβάσεις poemati inserendo, egregium carminis decus esse iudicarunt poetae; ita quoque poesis didactica ad fabulas excurrit saepissime, quae sunt blandimenta poeseos, eisque sese exornat, quo magis placeat, quam si omni vestitu ornatu que poetico spoliata nuda quasi incederet. Ipsa quidem veritas Dea est, suique amorem et admirationem in omnibus excitat, et sibi vel ab inuitis assensum conciliat; multo tamen facilius persuadet et vincit, vbi magis comta, et gratiis musarum exornata est. Quare et prosaici scriptores, Plato, Xenophon, Cicero, fictis colloquiis, nec raro intermistis fabellis, veritates philosophicas docere inprimis aptum esse iudicarunt. Ipse denique Socrates, ast quantus vir! quantum numen mortali corpore tectum! ipsam morum doctrinam, fabulis poetarum ornare non dedignatus est, non equidem, quod eiusmodi fabulis veritati diuinae grauius pon-

pondus addi posse existimaret, sed quod multo gratiorem et iucundiorem eam iudicaret fore discipulis, vbi cantum poetarum comitem nacta, et floribus in Parnasso lectis coronata esset. Sic philosophicae isti veritati: *Vir bonus nihil timet*, quam *Aeschylus* in *VII. Contr. Thebas* expressit: Δεινὸς ὅς θεοὺς σέβει, nemo non arridet, vel assensum suum negare audet; tamen sensibilior est multo et iucundior in *Horatii* carmine ad *Aristium Fuscum*, vbi Syrtes aestuosae, Caucasus inhospitalis, fabulosi Hydaspis regiones, steriles vel frigore rigidi, vel sole tosti campi, domicilium praebent integro, eiusque virtutem ipsae ferae fuga venerari videntur. Materiam certe hic poeta, quae iam a veritate inuenta erat, decore poetico exornauit, et iucundiorem reddidit. Etenim, vt naturalem iam demiramur marmoris praestantiam, colorum diuersitatem eorumque summa arte a natura perfectam mixturam; tamen vbi artificis manus accesserit, et inde vel Deum, vel hominem, vel columnam produxerit, magis omnino placet, tantaque est operis admiratio, vt non de lapide cogitemus amplius, sed de imagine, quam inde exsculptam videmus. Eiusmodi

modi quoque ratio est poeseos didacticae. — Sed ad exempla nos conferimus, quae ex carminibus Dauidicis petita sunt. Atque hic primum occurrit Psalmus 41. cui quidem historia originem dedit, quique hinc profecto ad historica carmina esset referendus, verum ob veritates in eo contentas, didacticis odis suo iure adnumerari potest, vt multi alii, etiamsi eis titulus משכיל non inscriptus sit. Difficile est cum certitudine inuestigare atque constituere, ad quam historiam in caminibus suis diuus vates respexerit, vbi ipsa eam non docet inscriptio carminis. Attamen si coniecturis ibi quoque concedenda venia est, vbi ad verisimilitudinem quamproxime accedunt, non dubia suspicio est, hoc carmen a Dauide in exsilio suo esse compositum, cum filium rebellem fugeret. Historica argumenta indigitat tantum; cetera sunt omnino didactica. Praedicat nempe generosum eorum animum, qui irruente calamitate non recedunt, nullo timore conturbantur, quo minus officia sua in eum conferant, qui eorum auxilio indiget. Vidit idem argumentum huius Psalmi Arabs interpres, quamuis de Messiae calamitatibus carmen tanquam prophe-

phetiam explicet, vbi in proemio ita disserit: *Dauides cum in grauissima versaretur tristitia, benedictiones scripsit, quas Deus iis largiretur, qui beneficos sese praestitissent erga miseros, imprecatur eis clementiam Dei. Indignatur porro propter potentiorum iniquitatem, malitiamque inimici cuiusdam potentissimi, qui est externa imago Iudae proditoris. Confidit autem gratiae Dei, qui eum tandem aliquando sit prosperaturus.* Initium Psalmi hoc est:

אשרי משכיל אל דל (33
ביום רעה ימלטהו יהוה:
יהוה ישמרהו ויחיהו (34 ואשר בארץ:

ואל

33) LXX. et Arabs hic addunt καὶ πένητα والفقير antiquus error, de quo iam *Eusebius*: τὸ καὶ πένητα οὔτε ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ, οὔτε παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευτᾶις ἐμφέρεται, οὔτε παρὰ τῷ σύρῳ. Fluxisse tamen videtur, vel ex glossa marginali, vel certe ex paraphrastico interpretandi genere, quod Chaldaica adhuc paraphrasis indicat, vbi legitur: לעניי מסכנא.

34) ויחיהו per duplex Iod habet Codex 18. Biblioth. regiae Parisinae, ויאשרהו le-

ואל תתנהו בנפש (35 אזיביו:
יהוה ישמרנו על ערש דוי
כל משכבו חפכת בחליו:

For-

legerunt LXX, Arabs, Vulgata et Chaldaeus. Eamque lectionem parallelismus quoque exigere et confirmare videtur. Symmachus tamen et D. Hieronymus habent: καὶ μακαριστὸς ἔσται, *et beatus erit in terra.* Certe ו τῷ יאשר praefigendum, si ex omnibus interpretibus coniecturam facere licet. ואשר quoque legitur in Codice 31. Bibliothecae Sorbonae, vbi tamen ו erasum, et in י mutatum est, vt τῷ Kri in margine respondeat.

35) בנפש איביו. LXX et Arabs habent: εἰς χεῖρας ἐχθροῦ αὐτοῦ. בידי אעדאה. cum alias נפש per ψυχὴ et אנפוש exprimere soleant, vt Ps. 27, 12. 35, 23. Tamen nolim de diuersitate lectionis cogitare, cum נפש *de ira*, et יד de *violentia*, in vsu sit apud Ebraeos. τὸ · ἐχθροῦ αὐτοῦ quod in Graeca versione legitur, haud genuinum esse puto, quamuis si *Aquilam*, qui etiam singularem habet ἐν ψυχῇ ἐχθροῦ, consulo, in antiquis codicibus איבו extitisse certum sit. Tamen Chaldaeus, Hieronymus et Vulgata habet Pluralem. ἐχθρῶν quoque legitur in MSS. graecis

Fortunatus, qui afflicti rationem habet,
In die nempe infortunii seruabit eum Iehoua:
Custodiet eum, viuum seruabit eum, et in terra fortunatum reddet;
Neque tradet eum libidini inimicorum suorum
Suffulciet eum in lecto morbi eius,
Omnem decubitum eius auertet.

Omnem hominum vitam poeta perlustrat, et magna concinnitate omnia eius incommoda depingit, grauissime irruentem calamitatem, inimicos, aegritudinem, omniaque haec a generoso amico aliena fore praedicat. Prosequitur argumentum, et more vere poetico semetipsum loquentem inducit, quo sermone inimicorum consilia maleuolamque mentem ita describit, vt ipsos eum visitantes, falsoque infortunium eius dolentes, oculis fere nostris videamus. Vt vero cum querula voce singularis in hoc car-

cis 40 et 41. Bibl. Reg. et quibusdam Romanis Card. Carafae. Sic quoque *Ambrosius* et *Augustinus* confirmant hanc lectionem pluralis, in aliis libris, latinis puto, apparere.

carmine pulcritudo dominatur, sic interdum altius exsurgit poesis didactica, tantaque ornata est sublimitate, vt eam vix ab heroico carmine discerneres, nisi si materia carminis genus simul suum definiret. Ex horum numero est praesertim Psalmus 50. Diuersa est apud diuersos auctores huius carminis explicatio. Sunt qui de temporibus noui foederis explicant, quod sacrificia sibi non placere Iehoua profitetur: ita Syrus interpres in proemio, et Schmidius. At nulla est in hoc carmine mentio abrogationis sacrificiorum, verum potius scopum et sententiam sacrificiorum docet, Iudaeorum simul refutans de sacris suis praeiudicatas opiniones. Aliis placuit de futuro uniuersi iudicio, hunc Psalmum explicare, et maiori fortassis verisimilitudine: primus, tertius et sextus versiculus certe digni sunt extremo iudicio. Ita R. *Dauid Kimchi* et *Arabs*, qui in Psalmi huius argumento ita differit: *Indicat Psalmus Deum ad iudicium populi sui venientem. Pios suos primum docet Deus, quodnam illud sit ministerium gratum sibi et acceptum in hoc iudicio: pectoris nempe ministerium et spiritus. Impiis vero deinde indicat perniciem summo iure eis constitutam.* Ve-

Verum non solum versiculus 2. qui totam futuri iudicii picturam disrumpit, sed vniuersus, qui subsequitur sermo huic explicationi aduersatur. Est autem Psalmus argumenti vere moralis, sincerum et genuinum Dei cultum, non in sacrificiis et cerimoniis religionum, quae peruersa Iudaeorum opinio erat, sed in pectoris puritate et sinceritate positum esse, demonstrans. In summo autem poeseos didacticae carmine versatur poeta, tantaque maiestate oden suam inchoat, vt altiora tentare vix posse videatur. Aduentum ipsius Iehouae in monte Zion describit, vnde vniuersam Palaestinam ab oriente et occidente sole conuocat, populo suo veram legis in Sinai latae, mentem explicaturus.

אל אלהים יהוה דבר ויקרא ארץ
ממזרח שמש עד מבואו׃
מציון [37]מכלל יופי אלהים [36]הופיע׃

36) מכלל. Rabbini et multa pars veterum מכלל *perfectionem* interpretantur. Ita *Aquilas*, *Theodotio* et *Symmachus*: Ἐκ Σιὼν τετελεσμένης καλῆς. Verum מ est praefixum, non heemanticum. Reddo *Coronam pulcri-*

tu-

יבוא אלהים ואל יחרש
אש לפניו תאכל
וסביביו נשערה מאוד:
יקרא אל השמים מעל
ואל הארץ לדין עמו:

Deus Deorum loquitur et conuocat terram
Ab oriente sole, vsque ad occidentem.
Ex Zione, ex Corona pulcritudinis illuxit
Deus.

Venit

tudinis. בלבל et إكليل, Syris et Arabibus *Corona* est. Terrae autem Coronae, vrbes sunt; Hinc turrita Cybeles Corona in numis et marmoribus Graecorum et Romanorum.

37) הופיע LXX et Arabs aduerbialiter accipiunt per ἐμφανῶς, coniunctim cum sequenti verbo יבוא. Alibi multo accuratius Ps. 80, 2. הופיע ἐμφάνηθι, أظهر item Ps. 94, 1. ἐπαρρησιάσατο. ظهر. Tamen hoc varietatibus lectionis non ausim adnumerare. Sed haec alibi fusius. Caeterum moneo, versiculo 1. ארני pro יהוה, et versiculo 3. נשׂערה pro נשׂערה legi in Codice Mss. 31. Biblioth. Sorbonae.

Venit Deus noster, neque silebit:
Ignis edax praecedit eum
Et circumfremit vehemens turbo.
Conuocabit coelos ex alto,
Et terram iudicaturus populum suum.

Petita est haec imago ex antiqua historia et quidem ab aduentu Iehouae in monte Sinai, tantaque maiestate et superbia verborum ornata est, vt apparatum aduentantis numinis videre, et tonitrua altitonantis audire tibi persuadeas. Ipsum porro Deum loquentem inducit, quod in grauissimis carminibus alioquin facere consueuerunt poetae Ebraici, et angelis ministris maiestatis suae, sanctos suos vndecunque colligere iubet.

אספו לי חסידי
כרתי בריתי עלי זבח׃

Congregate mihi Sanctos meos,
Obseruatores foederis mei prae sacrificiis.

Et hanc sublimem orationem Dei, post breue quoddam διάσημα, verbis tanto numine dignis, ad finem vsque carminis prosequitur. Equidem non ignoro LXX Arabem et Vulgatam legere אספו לו חסידיו כרתי בריתו

Congregate ei sanctos suos, obseruantes foedus eius etc. Sed de hac lectione, quae imperiti librarii figmentum est, veteres iam iudicarunt, spuriam esse, et graecus Scholiasta ap. Cardinalem Carafam, et Montefalconium in Hexaplis Origenianis habet: τὸ ἑβραϊκὸν καὶ οἱ λοιποί· Συναγάγετέ μοι τοὺς ὁσίους μου. Regulis praeterea poeseos non solum valde conformis est masorethica lectio, sed auget magnopere pulcritudinem. Etenim, vt poeta, et is inprimis, qui argumentum sibi sumit didacticum, nihil maiori studio quaerere debet, quam vt artem celet; ita ordinem studiose euitat nimis anxium (ad quem alias procliue est carmen didacticum) quo facilius lectoribus persuadeat, ex concitatis affectibus poema originem suam cepisse: in quo non exiguum positum est poeseos ornamentum. Quo etiam non solum διασήματα, sed etiam διεκβάσεις referri debent, quae vtrique Carmini, heroico et didactico insignem sublimitatem et pulcritudinem conciliant. — Ad molliores animi perceptiones, vt supra diximus, poetae didactici descendere, et ad leuiorem lenitatem et facilitatem animum adplicare solent. Sic Psalmo 91. securitatem et fortu-

tunatam eorum tranquillitatem, qui in Iehoua omnem salutis spem posuerunt, summa elegantia describit, et ipsa dulcia confidentiaque plena alloquia eorum commemorat, qui ad Deum confugerint:

יושב בסתר עליון
בצל שדי יתלונן:
אמר ליהוה מחסי ומצודתי
אלהי אבטח בו:

Sedens in secreto altissimi,
38) *Sub vmbra Coeli sessoris pernoctabit.*
Dicit Iehouae: Tu es perfugium et propugnaculum meum,
Deus meus, in quo confido.

38) שדי, quem lexicographi nostri *validum* interpretantur, non est, nisi coeli sessor, ἀπουράνιος. Arabibus est سدى *summam rei conscendit.* Hinc quoque LXX cum arabe interpretati sunt: τοῦ θεοῦ τοῦ οὐρανίου الله السماء. Qualem graeci Iouem suum dixerunt.

ζεὺς — ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων. Iliad. δ. 166.

Et in primo Pſalmo ſecundam eorum fortunam deſcriptura, qui amici Dei legisque diuinae fuerint, didactica Muſa omnem fere paſtoritium ornatum induit, primaeque iuuentutis imagines in animum poetae reuocat.

והיה כעץ שתול על פלגי מים
אשר פריו יתן בעתו
ועלהו לא יבול
וכל אשר יעשה יצליח:

Arbori ſimilis eſt, ad canales aquarum plantatae,
Fructum ſuo tempore praebenti,
Cuius folia non areſcunt!
Et omnia quaecunque fecerit, erunt fortunata.

Pſalmus 119 quoque ex eorum numero eſt, qui ſunt mere didactici: id vero habet proprium, quod nullis ſplendeat poeſeos ornamentis, ſolis exceptis iis, quae ex metri ratione vel ſtichorum ſtructura proficiſcuntur. Tantum de oda didactica. Progredimur ad tertium genus poeſeos lyricae, quod in ſuauiſſimis et mollioribus affectibus verſatur.

Ter-

Tertium charactera Odae Ebraicae molliores affectus constituunt: atque licet primi, mediique characteris carmina, iure suo ad lyricam poesin referuntur, summaeque lyrae occupationes sunt; peculiari tamen iure hoc nomine vocari merentur ea carmina, quae tertium genus, seu infimum poeseos lyricae charactera constituunt. Quo factum quoque est, vt a plerisque, omnis lyricae poeseos origo ex his carminibus deriuaretur, ex quibus tum hymni, tum heroica poemata et didactica, deriuata sint. Et certe quidem, quamuis nemo Halleri absolutissimae Odae, quam *Aeternitat* dedicauit, summam poeseos lyricae virtutem et magnificentiam abnegabit; tamen omnes mecum profitebuntur, *Hagedornii* carmina multo magis, lyrae canoris fidibus esse accommodata. Omnis Ebraeorum poesis, eaque inprimis, quae ad lyram canitur, ita comparata est, vt grauitatem magis adspiret, quam dulcedinem, festiuamque lenitatem. Videntur omnes in genere orientales, ad sublime dicendi genus adeo inclinare praecipue, vt in ipsis iis poematiis, quibus amores celebrant, fastus quidam, atque grauitas dominetur, *Odae characteris tertii.*

quam graeci, latini, noſtrique denique poetae, a iocoſa lyra procul abeſſe debere iudicarunt. Arabum carmina, amoribus deuota, admodum ſonora ſunt et venuſta; tenerrimae tamen perceptiones pectoris, quibus abundant Anacreon, Moſchus, Bion, Theocritus, Catullus, Tibullus, Propertius, Muſaeus, Flaccus, Ouidius, et noſter denique Iohannes Secundus, faſtu quodam huic genti praecipue proprio ſupprimuntur. Venuſta ſatis eſt deſcriptio iſta, quam *Giafar Ibn Olba*, de amicae ſuae aduentu in Carmine dedit, cum vinculis detineretur Meccae:

عَجِبْتُ لِمَسْرَاهَا وَأَنَّى تَخَلَّصَتْ
إِلَيَّ وَبَابُ ٱلسِّجْنِ دُونِي مُغْلَقُ
أَلَمَّتْ فَحَيَّتْ ثُمَّ قَامَتْ فَوَدَّعَتْ
فَلَمَّا تَوَلَّتْ كَادَتِ ٱلنَّفْسُ تَزْهَقُ

Obſtupui nocturni eius aduentus cauſſa atque veniat vnde,
Ad me, clauſis circum me portis carceris:

Ac-

Acceſſit, ſalutauit, deinde ſurrexit et vale dixit.

Atque cum faciem ſuam auertiſſet, prope fuit, vt anima me delinqueret.

Breuis quidem haec eſt deſcriptio et ſatis concinna, ſed frigida nimis eſt, et amoris teſtificatione augetur hoc certe loco valde incommoda. Multo elegantior eſt nocturna viſio *Anacreontis*, quae illam *Giafari* omnibus numeris et modis multo ſuperat.

Ἐδόκουν ἀκροισι ταρσῖς
δρόμον ὠκὺν ἐκτανύειν
μετὰ παρθένων ἀθύρων.
Ἐπεσεβόμουν τὰ παῖδες
Ἀπαλώτεροι λυαίου
δακέθυμά μοι λέγοντες,
διὰ τὰς καλὰς ἐκείνας.
Ἐθέλοντα δ' αὖ φιλῆσαι
φύγον ἐξ ὕπνου με πάντες
μεμονομένος δ' ὁ τλήμων
πάλιν ἤθελον καθεύδειν.

Omnia hic feruent, preſſa adeo nitida et venuſta ſunt, vt quem Veneris Liberique ἱεροποιὸν καὶ μελῳδὸν omnis agnouit antiquitas, arabas quoque in hoc genere longe ſu-

pe-

perare profiteamur. Equidem haud prorsus carent ebraei poetae omnibus iis carminibus, quae suauiores dulcioresue animi perceptiones exprimunt; Eidyllium Salomonis, quod שיר השירים *Canticum Canticorum* vocant, exemplo satis est, quantum in hoc genere scribendi valeat poesis hebraica. Tamen vero ex Carminibus lyricis Dauidis inprimis perpauca sunt, quae, propter sanctam quandam maiestatem, et seueritatem quae in Psalmis vbique dominatur, ad hunc characterа possint referri. Ex raro horum numero est Psalmus 45. quem multi Ἐπιθαλάμιον putarunt esse, vbi v. 10. elegantissimam hanc descriptionem deprehendimus:

מר ואהלות קציעות כל בגדותיך
מן היכלי שן מני שמחוך:
בנות מלכים ביקרותיך
נצבה שגל לימינך בכתם אופיר:

Myrrhum, et Agallochum, Casiam spirant
vestes omnes tuae
Ex palatiis eburneis, ex quibus te laetificarunt.

Filiae

Filiae regum in pretioſis tuis,
Aſtat regina ad dextram tibi auro decora ophiritico.

et Pſalm. 133. vbi raram fratrum gratiam, pretioſiſſimis rebus aequiparat, ſacro nimirum vnguento, quo ad ſanctiſſimum munus in republica Ebraeorum vngebatur ſummus pontifex, et rori Hermonis, quamuis nullus dubito, quin haec pictura multo olim fuerit elegantior oculis ebraeorum, quam hodie nobis videtur. — Vt vero, ne faſtidium nobis moueat, Palatiorum, ſtatuarum, templorumque magnificentia, admirationisque locum occupet ſatietas faſtidioſa, vrbem relinquimus, regum timendorum palatia, turbamque clientium, et paſtorum tuguria, greges ſalientes, iuuenum conuiuia, cantus puerorum, puellarum tripudia, virides campos, fluminum ripas, ſiluarumque vmbram hoſpitalem adiiſſe iuuat. Luculentiſſima huius generis exempla, ſubminiſtrat nobis Oda Ebraica, quae quidem ad magnas res creata, ſeu, vt *Lowthii* verbis vtar [38]) *in materia grauiſſima*

38) De ſacra poeſi Ebraeorum, p. 494. 495.

ma ſemper verſatur, neque vnquam ad illam deſcendit leuitatem, quae externam in hoc genere poeſin magna ex parte occupauit; ſuauitatis tamen charactera minime aſpernatur. Atque licet carmina Dauidica, quae ex hoc genere petita ſunt, auribus noſtris non adeo pulcra et ſonora videantur, atque vinnulae malaca que odae Anacreontis, quae neſcio quid dulcedinis et modulationis habeant; tamen eximia ſuauitate et pulcritudine praedita ſunt, ſiue cum Dauide viridia prata repetamus et vmbroſa nemora, calamitates vitae et pericula potentium ibi deplorantes, ſiue ad domum Dei cum eo ambulemus, ibique in ipſis Iehouae amplexibus amoris voluptates percipiamus, ſeu ad aras floribus et frondibus ornatas feſtorum ſollemnia cantu celebremus. Sic. Pſ. 118, 26.

ברוך הבא בשם יהוה
ברכנוכם מבית יהוה:
אל יהוה ויאר לנו
אסרו חג בעבותים
עד קרנות המזבח:
אלי אתה ואודך
אלהי ארוממך:

הודו ליהוה כי טוב
כי לעולם חסדו:

Benedictus sit, qui venit in nomine Iouae!
Benedicimus vobis, qui estis de domo Iehouae.
Deus Iehoua nobis est propitius 40)
Ornate festum ramis implexis
Ad cornua vsque altaris.
Deus meus es tu, et te laudabo ego.
Mi Deus, extollam te.
Psallite Iehouae, quoniam bonus est,
Et in perpetuum gratia eius.

et

40) Ita interpretor vocem יאר; ab *illuminatione* enim serenitatem et gratiam nominarunt Ebraei. Fere vt ap. Horatium lib. 4. Oda 5.

Lucem redde *tuae, dux bone, patriae*
Instar veris enim, vultus vbi tuus
Affulsit *populo gratior it dies*
Et soles melius nitent.

Sic Ps. 4, 7. יהוה נסה עלינו אור פניך. Ps. 80, 2. האר פניך. Ps. 43, 3. אורך *serenitas tua.* Adde Surat. Corani, 2, 274.

et Pſ. 122. vbi ita canit:

שמחתי באמרים לי
בית יהוה נלך:
עומדות היו רגלינו
בשעריך ירושלים:

Gaudeo, dicentibus mihi
Ad domum Iehouae ambulabimus:
Stabunt pedes noſtri
In portis tuis Hieruſalem!

Et Pſ. 63. vbi Deo deſiderium ſuum viſitandi templum et Hieroſolyma, in exſilio ſuo exponit:

כן בקדש חזיתיך
לראות עזך וכבודך:
כן אברכך בחיי
בשמחה אשא כפי:
כמו חלב ודשן תשבע נפשי
ושפתי רננות יהלל פי:
אם זכרתיך על יצועי
באשמורות אהגה בך:

Sicuti in ſanctuario vidi te,
Ita nunc deſidero, videre gloriam et maieſtatem tuam.
Sic benedicam tibi, dum viuo,

Et

Et alleuabo manus meas in nomine tuo.
Nam velut adipe et pinguedine saturor,
Sic labiis os meum hymnos tibi canit.
Cum tui recordor in strato meo
Et in vigiliis noctis de te meditor.

Ex hoc numero est Psalmus 144. vbi maxima elegantia laudes Iehouae instruit, et in se collata beneficia Dei recenset, quem totum deinde explicabimus. Quodsi vero omnia Dauidis carmina, pro elegantiae et pulcritudinis magnitudine recensere vellemus, vniuersus a nobis Psalmorum codex hic inserendus esset, quod in illud tempus differimus, quo, si plus otii nacti fuerimus, omnes Psalmos Dauidis ex Codicibus Manuscriptis emendatius edemus, et nostris animaduersionibus illustrabimus. Ex his autem, quae adduximus, exemplis, clarum esse puto, quomodo comparatae esse debeant odae ad tertium characterа referendae, atque discrimen, quod inter τὸ καλὸν καὶ τὸ ὕψος quoque interest in Oda Ebraica. De imaginibus rerum naturalium, quae huic inprimis generi propriae esse solent, eique venustatem praebere eximiam, nihil amplius

plius dico, quod de his iam supra a nobis demonstratum est.

Vnitas Odae. Vbi modo de tribus Odae ebraicae generibus locuti sumus, restat praecipuam et omnibus generibus communem elegantiam commemoremus, Odae nimirum *vnitatem*. Varia sunt quae forte παράδοξα et vituperanda viderentur, insignem tamen carmini pulcritudinem et elegantiam conciliant, qualis est neglectio ordinis, quae in saltu et festinatione carminis, introitu abrupto, et quadam verborum et cogitationum confusione. Tamen haec ita comparata sunt, vt poetam diuino quodam enthusiasmo commotum et excitatum, non tamen Hecates furore correptum videas. Sic *Horatius* omni neglecto ordine, in poetica quadam extasi affatur Lyaeum:

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? - - quae in nemora aut
Quos agor in specus
Velox mente noua? — —

Quem locum egregie imitatus est Marullus:

Quo

Quo me saeue rapis puer? —
Intermissa diu bella iterum moues
Et truces renouas minas.

et in carmine isto, vbi in Quirites ita inuehitur:

Quo? quo? scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

vbi abrupta initia: omnia diuino velut alite feruntur, aestuant, feruent; ipse denique verborum ordo confusus est. Huc quoque omnino digressiones pertinent, quarum *Pindarus* artifex optimus et magister; quarumque *Horatius* exemplum excellentissimum praebet in Oda 3. Libr. 3. vbi denique ad finem carminis, postquam longius euagatus fuerat poeta, ad mentem tandem rediisse simulat. Etiam Dauides noster in Psalmo 95. ad prisca Israelitarum itinera per desertum Sinaiticum digreditur, ipsum quoque Iouam ita loquentem inducit:

אל תקשו לבבכם כמריבה
כיום מסה במדבר:
אשר נסוני אבותיכם
בחנוני גם ראו פעלי:
ארבעים

ארבעים שנה אקוט ברור ואמר:
עם תעי לבבהם
והם לא ידעו דרכי:
אשר נשבעתי באפי
אם יבאון אל מנוחתי:

Ne obduretis cor veſtrum, ſicut in Meribah
Sicuti in die tentationis [41]) *in deſerto,*
In quo me maiores veſtri tentarunt:
Tentarunt, inquam, me, licet opus meum viderent.
XL. annis cum gente hac litigaui, dixique:
Populus ſunt, corde errantes
Viasque meas ignorant:
Quare et in ira mea iuraui
Si introibunt in requiem meam.

Vni-

41) כיום מסה. κατὰ τὴν ἡμέραν τοῦ πειρασμοῦ LXX. legere et ex his arabs interpres. Tamen alii codices habeat τοῦ πειρασμοῦ qualis eſt 40. et 41 Bibliothecae regiae Pariſ. Tantaque eſt, cum in graeca, tum in ebraica ſcriptura ad errorem in hac voce propenſio, vt in tanto, pro lectione maſorethica, conſenſu veterum, diuerſitatem potius ex graeca ducere malim.

Vnitas quoque odae ad eas res pertinet, quae παρὰ δόξαν viderentur: namque vt in musica arte dignus est exsibilatione, qui eosdem semper modos seruat, neque mutato obiecto etiam Chordas omnemque lyram mutat, lugubres voces laetis immiscere nescit; ita quoque in oda vnitas esse debet perceptionum, qualem in comoediis et tragoediis deprehendimus vnitatem actionis, loci, atque temporis, quod artis est praecipue. Quo magis enim, omni seruitute remota, vnitatem perceptionum obseruat poeta; eo magis lectori persuadebit veros fuisse affectus quibus carmen animatum est. Psalmus 18. cuius principium admodum sublime est, hanc vnitatem non obseruat Terram commotam, montes concussos, fumum et flammam, sphaeram occupare, Iouam coelos declinare et descendere, sibique densissimas caligines circumfundere, ventis vectum per aera incedere, tonitrubus orbem perstrepere et maris abyssos reuelare videmus. Anne hic, pro affectuum et verborum vnitate, vel iudicii orbis terrarum, vel apparitionis Dei in Sinai, vel insignis victoriae descriptionem exspectamus? Tamen pars reliqua carminis, cum

tam sublimi initio non conspirat, et vires elanguisse videntur poetae ad tam sublime argumentum absoluendum. Nobis tamen in tanta vitae Dauidis obscuritate, cuius sane perexigua pars ad nos peruenit, non licet de hoc carmine iudicare, cum tanta esse potuerint beneficia Dei in eum collata, vel in ferendo contra hostes auxilio, vel in ipsa reuelatione mysteriosa Dauidi a Deo facta, vt vere tanto apparatu, et magnificentia a poeta exprimi potuerint. Mira ceteroquin est concordatio et vnitas in carminibus Dauidicis: idem affectus dominatur, siue confidentiam suam Deo explicet, siue querula voce calamitates suas deploret, siue praeuaricatoribus irascatur, siue plenus admiratione mirandam Dei vim et maiestatem celebret: et vbi vel ad summam poeseos sublimitatem ascendit, vel ad planam et naturalem pulcritudinem se demittit, insignis semper adparet, et cuilibet generi peculiaris, verborum et sententiarum vnitas.

Dauidis χαρακτὴρ. Haec postquam a nobis disputata et exemplis ex carminibus dauidicis probata sunt, paullo accuratius a nobis

bis describendus est character Dauidis. Anne vero accurate satis eum delineauerimus, optimum illum et maxime sublimem poetam esse praedicantes? Equidem gloriam istam, eumque locum, quem summo iure inter poetas valde sublimes obtinet, tanto vati negare nolumus; nolumus tamen etiam eos imitari, qui coeco quodam feruore, ipsam veritatem, vel negligunt, vel inuestigare timent. Caeca enim ista veneratio, quae omnia, quaecunque religionis maiestate vestita sunt, quaeque a viris diuina inspiratione adiutis proficiscuntur, stupore quodam admiratur, neque iudicio rationis metiri, vel considerare permittit, multo maius detrimentum parit veritati, quam hostium religionis calumnia, et accusandi veritatem libido: qui et ipsi nobis inuiti assentiri coguntur, vbi nos neque partium studio trahi, neque superstitione, qua plerumque religionis cultores accusare amant, occupatos de libris sacris viderint sentire. Neque denique putamus, de reuerentia, quam sacris litteris, quam prophetae diuinitus inspirato debemus, vel minimum diminutum iri, vbi sincere professi fuerimus, eum non summum vbique cacumen poeseos

lyricae fuisse assecutum, lyricae poeseos regulas neglexisse interdum, neque Iobi, Moysis, Iesaiae, Habacuci sublimitatem, nec suauitatem et dulcedinem, qua Idyllium Salomonis expolitum est, attingere potuisse. Quod sane vitio nobis verti nequit, nisi quis ipsum Spiritum sanctum haec carmina composuisse, nec sententias poetae tantum inspirasse, cetera ingenio et affectui poetae relinquens absoluenda, affirmare velit, de quo tamen fere communis eruditorum consensus est, quantum ad scripta noui testamenti attinet, vbi de Ebraismis et Syriasmis in nouo testamento differimus, et D. Pauli scribendi genus, ob puritatem sermonis aliis praeferimus. —

Lyricorum Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax. Nescio, profecto, an accuratius de carminibus Dauidis iudicari, iustiusque χαρακτῆρ Dauidis constitui possit, hisce verbis, quae de Lyricorum apud Romanos facile principe, protulit *Quinctilianus in Institut. Orat. Lib. X. Cap. 10.* Meliori

liori certe nomine nobis commendari nequit. Etenim vt *Horatius*

— apis mantinae
More modoque
Grata carpentis thyma,

carmina ſua, Anacreontis, Sapphus, et Catulli dulcedine et iucunditate ornauit; ita noſter quoque ſane non minori pulcritudine, et elegantia, vocisque iucunditate canit, virentes agros, et prata, et campos a bono Deo largis imbribus irrigatos, et florentes. Pſ. 65, 10. ſqq.

פקדת הארץ ותשקקה [42])

42) Eadem locutio eſt apud Ioelem 2, 24. השיקו היקבים תירוש, ויצהר: *redundadabunt torcularia muſto et oleo.* Bene quidem Chaldaeus tranſtulit יטופון *redundabunt*: Cuius autem ſit originis, dubii ſunt interpretes Iudaei. Aben Ezrae videtur a נשק, addit nempe כמו משיקות, *ſicuti oſculationes.* Raſchi inquit: לשון השמעות קול כשהקילח רודד מן הגת אל תוך הקב: i. e. *Vox eſt ſonum indicans, quando effluxus e torculari in prelum inſtillat.* Sed meliorem explicatio-

רבת תעשרנה
פלגי אלהים מלא מים:
([43] תכין דגנם ([44] כי כן ([45] תכינה:

תמליה

tionem praebet R. Dauid Kimchi: השיקו כמו הציפו (תהל' קב"ו) מן יצק הברזל (מלכים ב') ואשר הציפאת מי ים שופ על פניה (דברי"ת) הציפו *Sicuti* Pſ. 126, 5: *et ſupernatare facient*; et 2. *Reg* 6, 6: *Et fecit ſupernatare ferrum. Et Deuter.* 11, 4. *qui inundare facit aquas maris rubri in conſpectu eorum.* Addit: כלומר שהיקבים היו מלאים עד שיצופו היין והשמן על פניהם: *Quaſi dicas, quod adeo plena fuerint torcularia, vt vinum et oleum exuberarent.* שוק autem eſt *inebriare, irrigare,* μεθύειν ὑπερεκχέειν, πωτίζειν, quomodo a Symmacho et Alexandrinis ſaepe translatum eſſe video. תשקוֹה, ſed poſtea eraſo י legitur in Codice 48. Bibl. Reg. 32. Biblioth. Sorbon. תשוֹקקה plene per ו legitur in Codice 31. Sorbon. et תשוֹקקוֹה per ו et י in Codice 29. Bibl. Reg.

43) Alexandrini veram huius vocis ſignificationem parum aſſecuti, qui interpretantur ἡτοίμασας. Melius omnino Symmachus τελεσφορήσεις *fructificare facies.* Et *Arabs* ſenſu plane

תמליה רוה נחת גרורה (46
ברביבים תמגגהה צמח תברך:

עמרת (47

ne poetico : اسكرها *inebrias eam*, quomodo et in vulgata translatum video. Abest haec significatio a Lexicis nostris. Eodem sensu occurrit verbum כון Ps. 68, 11.

44) Malim רגנה, vt suffixum ad praecedens הארץ referatur, quod in vniuerso contextu obseruatur, cum de fructu terrae largiter irrigatae sermo sit. Ita quoque legit *Symmachus*. Reliqui tamen omnes habent pluralem suffixi, quare vnius auctoritate nihil mutare ausim.

45) תכיכה. Codex 32. Bibl. Sorbon. habet תכיכיה. 29. Bibl. Reg. et 16. eiusdem Bibl.

46) גרורה. Omnes Codices MSS. ap. *Houbigantium*, vnico excepto, habent גרוריה per Iod. Sed cum istud lumen criticum, suis collectionibus quinquagenariis, Mstorum enumeratione, lucem non dederit, neque inuestigare potuerim, vtrum eosdem consuluerit, quos ego inspexi, de his commemorabo. גרוריה habet. 27. et 48. Bibl. Reg. in illo erasum est a recentiori manu, 31. et 32. Bibl. Sorbonae.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0111
DFG

עטרת שנת טובתך [47])
ומעגליך ירעפון דשן:
ירעפו נאות [48] מדבר

וגיל

47) Elegantissima imago, bonum anni euentum pingens, corona et floribus decorum. Eandem quoque imaginem Chaldaeus interpres expressit, Ioel 2, 22. vbi verba: כי ירשאו נאות מדבר *Virent enim pascua deserti*, interpretatus est: אתעטרו דרות מדברא *Coronata sunt habitacula deserti.* Graeci alias quoque Bonum Anni Euentum, Iuuenem pingunt, bene comtum, corolla ex floribus ornatum, pateram in manibus tenentem, adiuncta vite, vrceo et aspersorio. Vide *Natter manières de graver en pierres fines.*

48) Pro נאות *Houbigantius* legendum putauit נוות. Certe singularis est נוה. Tamen notissima est literarum א et ו apud veteres commutatio. *Kimchi* interpretatus est נאות אהלי רועים, *Naoth sunt tentoria pastorum.* Quomodo etiam Chaldaeus Ioel. 2, 22. דְּרָת *Habitacula.* Melius vero *pascua* et *prata* ex ipso Ioele, quae germinare dicuntur, quod tentoriis sane non conuenit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0112
DFG

וגיל גבעות תחגרנה:
לבשו כרים הצאן [49]
ועמקים יעטפו בר
יתרועעו אף ישירו:

Visitas terram et inundas eam
Vberrimeque ditas eam.
Canalis Dei plenus est pluuia
Paras frumentum eius, sic enim eam soles irrigare.
Sulcos eius irrigas, descendere facis, casuras eius,
Guttis liquefacis, germini eius benedicis.
Coronas annum tuae beneficentiae,
Semitaeque tuae stillant pinguedinem:
Stillant pinguedinem pascua deserti,
Et exsultatione accingis colles:
Induta sunt prata gregibus
Et valles operiuntur frumento
Iubilant et cantant.

Quibus

49) Houbigantius omisit ה ante צאן, nescio, qua auctoritate.

Quibus versibus nemo singularem eandemque gratiam et pulcritudinem abnegabit, qualis est apud *Horatium* vbi cum veris descriptione Sestium amicum suum ad se inuitat:

Soluitur acris hiems grata vice veris et fauoni
Trahuntque siccas machinae carinas: [50])
Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni
Nec prata canis albicant pruinis.

Et paucis interiectis versibus addit:

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt solutae.

Alio loco, paullo altius insurgit musa Ebraica. Eumdem quidem naturae Deum canit, sed remigiis pennarum aethera petit aquilae modo, et ad ipsam Dei altissimam sedem adscendit. Sic Ps. 29. vbi Iehouam, quoniam Deus sit Tonitruus, Deum verum esse docet, omnesque gentes ad cultum et ado-

50) Hesiodus oper. et D. ♆.

adorationem Creatoris totius vniuersi excitat:

הבו ליהוה בני אלים (51
הבו ליהוה כבוד ועוז:

Munera offerte Iehouae filii Deorum,
Offerte Iehouae honorem et gloriam.

Tum versiculo tertio rationem adiungit, cur supplices Iehouam, vniuersi moderatorem agnoscant eique cultum praestent, quoniam

51) אוילים habent 2 Codices apud Houbigantium. Ita MS. 27. Bibl. Reg. Sed erasum est י et diductum ל, a recentiori manu. Quam etiam lectionem maxima pars veterum conseruauit: Vtraque tamen lectio a Graecis expressa est:

הבו ליהוה בני אלים
הבו ליהוה בני אוילים:

Putat Houbigantius Chaldaei latinum interpretem male transtulisse אלים *Dei*, tanquam אלהים; sed profecto bene; quamquam Chaldaei interpretamentum nequeam probare, Filii Deorum h. l. sunt, aliorum deorum cultores sic בת כמוש filia Camos dicitur, Camosi idoli assecla.

niam nimirum πτηνὸν ὅπλον per aethera agat, vique ſua horrendum quoque mare commoueat.

קל יהוה על המים
אל הכבוד הרעים (52
יהוה על מים רבים :

Tonitru Iehouae aquis incubat,
Intonuit Deus gloriae
Iehoua ſuper aquis magnis.

Eum enim, qui fulminis potens eſt, principem omnium Deorum, vniuerſique moderatorem dixerunt veteres; quod more ſuo egregie expreſſit Orpheus in Suffimine Iouis. v. 4. ſqq.

Γαῖα θέα μήτηρ, ὀρέων θ' ὑψηχέες ὄχθοι
Καὶ πόντος, καὶ πάνθ' ὅποσ' οὐρανὸς ἐντὸς ἔταξε.
Ζεῦ Κρόνιε, σκηπτοῦχε, καταίβατα ὀβριμόθυμε
Παντογένεθλ', ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή.

Σει-

52) הרעים הרעים legendum putat Houbigantius, vt primi Hemiſtichii verbum in altero recurrat. At nulla auctoritate.

Σεισίχθων, ἀυξετὰ, κατάρσιε, παντοτι-
νάκτα
Ασραπαῖε, βρονταῖε, κεράυνιε, φυτάλμιε
Ζεῦ.

Mox argumentum prosequitur noster, et Syluas montesque, alio tempore testes benignitatis diuinae, nunc summi Dei tonitru concussos, potentiam eius manifestare dicit:

קול יהוה שבר ארזים
וישבר יהוה את ארזי הלבנון:
וירקידם כמו עגל
לבנון ושיריון (53 כמו בן ראמים:

Tonitru

53) Sirion Syris est ܣܘܢܝܪ Mons *Hermon*, vicinus Libano, cuius modo mentionem fecerat. Sidoniis et Amorrhaeis olim *Schenir* dicebatur. LXX. transtulerunt ὁ ἀγαπημένος, quos *Vulgata* cum *Arabe* secuta est. Obscura lectio: videntur tamen vel ad شراشر quod *amoris affectum*, vel ad سرير quod *gratiam* significat, respexisse: nihil certi in hac obscuritate inuenitur.

Tonitru Iehouae frangit abietes,
Frangit Iehoua abietes Libani.
Exsilire facit illas, sicuti vitulum
Libanonem Sirionemque, vti ferum iuuencum.

Ferme vti Orpheus in Fulgetrii Suffimine. 13. sqq.

Ὃν καὶ γαῖα τέφρικε θαλασσάτε παμφαινόεσσα
καὶ θῆρες πλήσσασιν, ὅταν κτύπος οὔας ἐσέλθῃ.
Μαρμαίρει τε πρόσωπ' αὐγαῖς σμαραγεῖ τὲ κεραυνὸς
Αἰθέρος ἐν γυάλοισι· διαῤῥήξας τε χιτῶνα
οὐράνιον προκάλυμμα βάλλεις ἀργῆτα κεραυνόν.

Tum iterum ad grata sibi animalia in pascuis syluisque degentia progreditur, et haec quoque Iouam sensisse et terrore altitonantis perterrefacta esse demonstrat:

קול

קול יהוה יחיל (54 מרבר
יחיל יהוה מרבר קדש:
קול יהוה יחולל (55 אילות
ויחשף יעות: (56

54) Arabs reddidit زلزل quod est: *concussit terram Deus.* De iis, qui infortuniis corripiuntur, occurrit in Corano Surat. 2, 211.

55) Bene et opportune hunc locum contulit Celeberr. Lindnerus in Dramate Scholastico A. 1763 cum verbis *Besseri*:

Wo Schlag auf Schlag schnell durch einander streichen,
Die Thiere stehn bestürzt, die Hündin selbst verwirft,
— — — — *da die Erdenfeste zittern,*
Und in den Alpen sich die Steingebürge splittern.

56) Arabs interpres ob similitudinem inter خ et ك vocem ebraicam יחשף transtulit ويكسف *et caligine obscurabit.* Tamen ipsa fortasis radix كسف خسف originem dedit. Est nempe in vsu de *Eclipsi* et *deliquio*, quod luna patitur, et ma-

Fragore Iehoua contremuit deſertum
Tremuit deſertum Cades:
Fragor Iehouae tremere facit ceruas
Et nudat ſyluas.

Ad ſublimiores eiusmodi Dei laudes, ex rerum naturalium commemoratione deſumtas, facit inprimis Pſalmus 104. qui tanta

maiori elegantia in ſermone arabico vſurpatur, quam vox كسف quae idem exprimit. Ita occurrit Surata 75, 8. vbi وخسف القمر *Et deliquium paſſa eſt luna.* LXX. h. l. habent ἀποκαλύψει: quo faciunt praeſertim verba Kimchi ad Ioel. 1, 7. פירוש חשפה גלה אותה כלומר שהסיר קליפתה וכן ת"י מקלף קלף ורמא: *Explicatio vocis Chaſaphah eſt, nudauit eam, tanquam corticem eius detraxerit, quomodo Ionathan tranſtulit: Decorticando decorticauit et proiecit.* Reperere quidam in Golii Lexico arabico, خشف eſſe *abortum facere:* arripuerunt ſtatim, et arabice egregie docti videri cupientes, nouam explicationem de abortu incolarum ſiluae protulerunt. Sed haec imago potius pertineret ad praecedens יחיל, quae ſi de יחשף intelligitur, grammaticae aduerſatur: خشف enim eſt *abortum edidit*, non autem, *fecit vt abortum ederet mulier.*

tanta est indutus maiestate, tantoque rerum naturalium apparatu instructus, vt nullum sciam, qui iure ei in hoc genere possit anteferri: Neque apud exteros poetas saepe occurrunt, quae cum hoc comparari possint carmina. Legenti autem mihi, et inter se conferenti, Dauidis et Horatii poemata, hoc obseruatum omnibus ex partibus confirmari visum est, Dauidem nempe Horatium superare in grandioribus rerum naturalium imaginibus, hunc autem in mollioribus affectibus exprimendis, iucunditate et amoenitate valde excellere. Sic etiam lugubria Horatii poemata legentes, flebilem quidem teneramque Musam inuenimus; lamentis et querelis inhaeret; leniter ipsa querela fluit, vnde rarissimum poetae cum doloribus commercium elucet. Noster vero, plura grauioraque passus, in tristioribus affectibus animi multo est impetuosior. Plangit, lamentatur; modo dolorem deponere velle simulat: Verum in multo grauiorem aegritudinem incidit. Non leniter ab oculis destillant lacrumae; sed fluminibus lacrumarum genae irrigantur, et, cum perturbata mente, verissimus affectuum maximusque impetus vbique con-

ſpicitur. Vnde viua adeo pictura eſt dolorum ſuorum, vt pictor eos ex animali corpore in tabulam transferre melius, nequeat, Sic Pſ. 6, 5.

שובה יהוה חלצה נפשי
הושיעני למען חסדך:
כי אין במות זכרך (57
בשאול מי יודה לך:
יגעתי באנחתי
אשחה בכל לילה מטתי
ברמעתי ערשי אמסה:
עששה מכעס עיני
עתקה בכל צוררי:

Reuer-

57) Idem expreſſit *Aeſchylus in fragmento apud Stobaeum Ethic. Sermon.* 126.

Καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις ἐνεργετεῖν
ἤγουν κακουργεῖν, ἀμφιδεξίως ἔχει
οἷς μήτε χαίρειν, μήτε λυπεῖσθαι πάρα.

Vnde fortaſſis ſententia veterum Philoſophorum de ſtatu animorum poſt emigrationem e corpore, quos ſomno ſepultos putabant, confirmari poteſt. Ab qua opinione Ebraeos olim quoque non alienos fuiſſe exiſtimauerim. Adde Pſ. 115, 17.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0122
DFG

Reuertere Iehoua, eripe me,
Serua me, propter gratiam tuam.
In morte nulla est tui memoria;
In sepulcro, quis tibi confitebitur?
Laboraui in gemitu meo:
Natare facio omni nocte lectum meum,
Lacrumis meis stratum meum liquefacio.
Caligauit oculus meus prae ira,
Inueterauit propter omnes aduersarios meos.

Et vbi querula voce desiderium suum, Hierosolyma domumque Dei visitandi cum exsul viueret in regionibus trans Iordanem, exprimit, a siti ceruorum imaginem mutuatur Ps. 42.

כאיל (58 תערג על אפיקי מים
כן נפשי תערג אליך אלהים׃

58) Verbum ערג de *desiderio* interpretati sunt LXX. Vulgata, et Arabs. הערג *sicut ceruus desiderans*, Chaldaeus et Syrus, vnde *Houbigantio* ת in ה mutandum esse videtur. Alii כאילת תערג. *sicuti cerua desiderat.* Quomodo etiam R. Leo Iehuda. Chaldaeus Ioel. 1, 20. de exspectatione: אף חיות בוא מכבוא קומך. *Quin etiam bestiae ad te*

צמאה נפשי לאלהים לאל חי
מתי אבוא ואראה פני אלהים:

Sicuti Ceruus ſitit torrentes aquarum
Sic animus meus ſitit te, Deus!
Sitit deſiderio animus meus, ad Deum, Deum viuum:
Quando introibo, et videbo faciem Dei!

Tum aegritudine animi cum indignatione quadam coniuncta, ob ipſam in Deum pietatem

te ſpectant. D. Hieronymus radicem ערך *praeparauit* in animo habuiſſe videtur, qui ita: *ſicut cerua praeparata.* Multi noſtrorum *de clamore*, vt Lutherus: ni fallor ex Raſchio, qui ad Ioel. l. c. ita: תערג בהמות תצעק כאשר מתר דונש ערג לאילים: i. e. *Vociferantur beſtiae, quomodo Dones explicauit, eſſe* τὸ ערג *ceruorum. Aquilas* transtulit cum auctore ſextae verſionis graecae, *ſitire*, πεπρασίασαι, et παρασιασθῇ, quod vocis arabicae عَرَجَ memorem me eſſe facit, qaae *de Camelorum adaquatione* vſurpatur, vnde *ſitis* ſignificatio commode deriuatur. Hanc probat parallelismus verſiculi ſequentis, vbi per צמאה idem affectus exprimitur.

tatem ab inimicis, acerbissime se illusum esse queritur, Deoque, quasi ignoret, narrat, simulque eum pietatis vindicem excitat:

היתה לי דמעתי לחם יומם ולילה
באמור אלי כל היום איה אלהיך׳

Lacruma mea mihi panis fuit die ac nocte,
Dum dicerent mihi omni die: vbinam est
nunc Deus tuus?

Videtur quidem recordatione magnifici cultus Iehouae, pristinam laetitiam in animum velle reuocare; sed frustra; auget potius dolorem. Quare ita pergit:

מה תשתוחחי נפשי ותהמי עלי

Quare diffluis lacrumis, mi anime, et strepis in me?

Et licet spe salutis futurae animum erigere studeat, in eundem tamen doloris affectum recidit.

תהום אל תהום קורא לקול צנוריך
כל משבריך וגליך עלי עברו׃

Abyssus abyssum vocat ad vocem canalium
tuorum

Omner fluctus vndaeque tuae ad me transierunt.

Superat fortassis elegantia hanc odam, Psalmus 137, qui vere inter lacrumas et suspiria, cum moesta quadam patriae recordatione est compositus; tamen quoniam non Dauidis est, sed poetae cuiusdam tempore exilii babylonici viuentis, Ieremiae forsitan, exempla inde petere a proposito nostro alienum est. Quodsi vero summo oculorum ingenii acumine, quae a Dauide scriptae sunt elegias perlustramus, et cum Horatianis conferimus diligenter, nullus dubito, quin in texendis quaerelis primus omnino locus Dauidi summo iure tribuatur. In carminibus didacticis eximia nobilitate Horatius praeditus est, cum ob sermonis volubilitatem et elegantiam naturalem, tum ob sublimitatem, quam carmini suo tribuit, et descriptiones, quas egregia plane arte praeceptis suis interponere nouit. Vt in carmine isto, vbi *Dellio* suo aequam mentem in arduis bonisque rebus diligenter commendat: egregiam hic descriptionem praeceptis suis adsperſit:

Seu

Seu moestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni:
Quo pinus ingens, albaque populus
Vmbram hospitalem consociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare riuo.
Huc vina, etc.

Et in oda ad Asinium Pollionem, in qua nihil praeter animi tranquillitatem ad bene beateque viuendum requiri docet, elegantissima prosopopoeia, Timorem et Minas perpetuos diuitis Domini comites fingit:

— — — *Timor et Minae*
Scandunt eodem quo Dominus: neque
decedit aerata triremi, et
Post equitem sedet atra cura.

Neque vero in Dauide variam istam pulcritudinem, elegantiam, et sublimitatem desideramus. Multus est in docendo; tamen pressus: Erectus, tamen mitis simul: seuerus, non tamen sine suauitate; asper, sed limatus. Riuulo similis est, qui Penei ad instar, radiis modo solis illustratur, modo

frou-

frondibus arborum inumbratur in quem, dum viridia transit pascua, nymphae omnes descendunt, et flores et coronas apricorum florum coniciunt. Verum vbi Iehouae laudibus lyram adaptat, vbi pristina tempora, et magnas Iehouae et gloria decoras victorias animo voluit, bone Deus! quanta sublimitas cogitationum et verborum! quae figurae! quantus apparatus, ornatus, audacia denique! Omnia hic *fluminis*

Ritu feruntur, nunc medio alueo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos
Stirpesque raptas et pecus et domos
Voluentis una . . . . . .

Horatii carmina, quae Augusti, Drusi, Antonii Iuli laudes continent, eaque, quibus Calliopen Liberumque effert, eximium decus habent et nobilitatem singularem audaciam, vim verborum et affectuum, inopinatos celeresque a re proposita ad aliam transitus, quae omnia insignia sunt poeseos lyricae ornamenta [59]) digressiones porro, gra-

59) Vide *Ramleri* Einleitung in die schönen Wissenschaften. Tom. 3.

grauitatem et sublimitatem, quae satis superque probant, poetam Pindarici fontis non expalluisse haustum. Omnia vero tanta arte coniungere nouit, vt dulcedine eius oblectemur, sublimitate in admirationem rapiamur. Sic, vbi tutaminis Deorum in tenera iuuentute meminit,

Me fabulosae, inquit, *Volture in Appulo*
Altricis extra limen Apuliae
Ludo fatigatumque somno
Fronde noua puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus
Quicumque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et aruum
Pingue tenent humilis Ferenti:
Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et vrsis, vt premerer sacra
Lauroque, collataque myrto
Non sine Diis animosus infans.

Vbi autem vtrosque inter se conferimus, neque vel religiosulos istos imitamur, qui antequam et profanos poetas crebro regustauerint, omnibus poesios virtutibus carmina Dauidica exornata esse praedicant, vel istos, quibus nihil eleganter pulcreque dictum videtur, nisi quod ex fabellis veterum,

et caballino flumine hauſtum fuerit, cum de Horatii, tum de Dauidis caractere ita ſtatuendum eſſe arbitror. Molliores lenioresque ſunt in Horatio animi perceptiones: in Dauide autem bellicoſi et aeſtuantes pectoris impetus dominantur. Ille voluptati indulgens paſcua et nemora laudabat ruris ſui, vbi in gratarum ridentiumque puellarum conſortio morabatur: hic fugitiuo tantum oculo ea repetit, vbi primam aetatem, non ſine proeliis ferarum conſumſerat. Ille Deos celebrat, parcus licet Deorum cultor et infrequens; hic vere ex pleno pectore, quem ſibi ab ineunte aetatula amicum conciliauerat Deum, quem tot tantisque caſibus expertus fuerat potentiſſimum, et liberatorem, laudibus effert. In ſublimi autem dicendi genere fere ſibi pares habendi fortaſſis ſunt: neque minus grandia videbantur Romanis opera Deorum, quae ad ſublimia condenda carmina excitabant Horatium, atque Iſraelitis iure videbantur generoſa Iehoua facinora. Nulla enim gens tam fera eſt, tamque barbara, quae diuinam ineffabili modo ſupra humanam conditionem elatam eſſe neget, quaeue altioris veritatis inſcia quamuis, quodammodo

modo tamen, cogitationibus suis, quas de Deorum natura sublimes habet, ad veritatem non accedat. Sic Horatiana ista:

— — — *Scimus, vt impios*
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et vrbes, regnaque tristia
Diuosque mortalesque turbas
Imperio regit vnus aequo.

omni sunt instructa pulcritudine et sublimitate, similique oratione Iouam suum celebrare, fortassis haud dedecori sibi duxisset Dauides: tamen pro feruore impetuque pectoris sui, imagines et figuras auget, maiusque pondus vim et grauitatem cum verborum strepitu coniungit, vbi vim fulminatricem Iouae Victoris carmine celebrat, Ps. 77, 17.

ראוך מים אלהים
ראוך מים יחילו
אף ורגזו תהומות׃
זרמו מים עבות
אף חצציך יתהלכו׃
קול רעמך בגלגל

האיוו ברקים תבל׳
רגזה ותרעש הארץ׃
בים דרכך ושבילך במים רבים
ועקבותיך לא נודעו׃

Viderunt te aquae, Deus!
Viderunt te et tremuerunt;
Etiam commotae sunt voragines,
60) *Contremuerunt, fecerunt aquas nubes,*
Tonitru dederunt coeli
Etiam fulgura tua discucurrerunt:
Sonus tonitru tui in rotunditate,
Illustrauerunt fulgura orbem,
Commota est, et contremuit terra.
In mari via tua, et semitae tuae in aquis magnis,
Neque cognita sunt vestigia tua.

Et in Psalmo 95. vbi vniuersam naturam, ad moderatoris vniuersi totius laudes rite celebrandas ita excitat:

ירעם

60) Ita interpretor vocem זלם, quam alii perperam cum זמר contulerunt, ex Arabismo זלם *tremuit, congeluit.*

ירעם הים ומלאו
תבל וישבי בה:
נהרות ימחאו כף
יחד הרים ירננו:
לפני יהוה כי בא
כי בא לשפט הארץ:

Tonet mare, et quod in eo continetur,
Orbis et omnes, qui habitant in eo.
Complodant flumina manus suas,
Et montes in cantum erumpant.
Coram Iehoua, qui venit,
Venit, iudicaturus terram.

Talia exempla multis partibus plura occurrunt apud nostrum, quae omnia huc adscribere nequeo: Facile enim possunt inueniri ab iis, qui cum aliquo pulcritudinis et poeseos sensu ad horum carminum lectionem accedunt.

Atque haec quidem de odis Dauidicis, poetaeque huius charactere dicta sunto. Similia huius poetae loca cum profanis eam ob caussam inter se comparauimus, quod ex his ingenium praecipue acui putamus, ad elegantias poeseos recte intelligendas. Multa quidem adhuc reli- *Conclusio.*

qua sunt, de sublimitate odae Ebraicae, de eo quod vere sublime dictum sit apud Ebraeos, et de discrimine, quod est inter arabes et ebraeos poetas: Nos vero, qui aliorum scrinia compilare non consueuimus, haec in aliud tempus transferimus, vbi largior nobis erit de hoc genere differendi occasio, ne iustos terminos superet commentatio nostra:

Ἐπεὶ τάχ' ἀκρῶυνθ' ἱκανὰ τοῖς γε σώφροσιν.

II.

PSALMVS SEXAGESIMVS OCTAVVS

SECVNDVM

FIDEM CODICVM MSS. ACCVRATE RECENSITVS.

ACCEDIT

VERSIO LATINA, LECTIONIS VARIETAS

ET

CRITICAE ANIMADVERSIONES.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0135
DFG

CODICVM MSS. ENVMERATIO.

Ex Bibliotheca Regia Parisina.

MSC. XVIII.
XXVII.
XXIX.
XVI.
XLVIII.

Ex Bibliotheca Sorbonae.

MSC. XXIX.
XXXI.
XXXII.

MSC. Bibliothecae Dresdensis.

MSC. Bibliothecae Cassellanae.

CODICES IN NOTIS EXCITATI.

MSC. Graecus 40. Bibl. Reg.
41.
21.
22.

MSC. Arabicus 18. Bibl. Reg.

MSC. Syriacus 11. Bibl. Reg.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0137
DFG

MSTI. Dresdenſis Varietates ad Pſ. 68. humanitati debeo Reuerendiſſimi et Doctiſſimi Viri Gulielmi Abr. Telleri SS. Theol. Doctoris, et Conſiliarii in Supremo Berol. Conſiſtorio.

Codicem Caſſellanum ante aliquot annos, praeſens ipſe adii, facultatem nactus beniuolentia Illuſtr. et Doctiſſimi Viri I. Arkenholz, Seren. Landgrauii Haſſiiae a Conſiliis aulicis. Quibus viris gratiam iis debitam publice hic teſtificari volui.

תהלי

תהלי ס"ח: .1 למנצח לדור מזמור שיר

1. *Pſalmus Dauidis Praecentori traditus.*

יפוצו (א) .2 יקום אלהים (ב) ויפצו אויביו
וינוסו משניו מפניו:

2. *Exſurget Deus! Diſpellentur inimici eius*
Et fugient oſores eius ab eius conſpectu.

VARIETAS LECTIONIS.

Inſcript. מזמור לדור per transpoſit. MSC. Dresdens.

Verſ. 2. יפ°צו אי°ביו. omiſſo ו. 32. Bibl. Sorb. ויפ°צו. Locus Parall. Num. 10, 35. ו°יפ°צו. LXX Arabs Vulg. אי°יביו. plene vt in impreſſis, ſed transfixum eſt ו. MS. 16. Bibl. Reg.

וינ°סו. omiſſo ו 29. Sorbonae 27. Bibl. Reg. 18. B. R. et 31. Sorbonae. וינ°וסו fuit olim in MS. 48. Bibl. Regiae, ſed eraſum eſt. Quod etiam accidit MS. 16. Regio, vbi ו transfixum et ו ſubſcriptum eſt. ינוסו°. omiſſo praefixo MS. Caſſell.

תנדף (b) 3. כהנדף עשן (b) ינדפו
כהמס דונג מפני אש
יאבדו רשעים מפני אלהים:
4. וצדיקים ישמחו
יעלצו לפני אלהים
וישישו בשמחה:

3. *Vti dispellitur fumus, dispellentur*
Vti cera liquescit igne
Sic peribunt rei coram Deo.
4. *Iusti autem gaudebunt*
Exsultabunt coram Deo
Et impense laetabuntur.

5. שירו

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 3. כְּהַנְדֵף siue כְּהַנָּדֹף it. כְּהָנְדַף et כְּחָנְדֵף Coniectura Rabbinorum in *Michlol Iophi.* יִתְנָדְפוּ Coniectura Houbigantii. יִנָּדְפוּ Coniectura Ill. Michaelis. ita LXX, Syrus, Arabs.

כהמס omissum in MS. 32. Sorb. sed restitutum in marg.

דונג. per Kamez MS. Cassel. ד׳נ ג. omisso ו. 31. et 32. B. Sorb.

כן ante יאבדו. LXX Arabs Vulgata. יאבדו רשעים מפני bis scripta sunt in MS. Dresd.

Vers. 4. ישמחו. deest in MS. 32. Sorb. sed adscriptum in margine.

ישישו. omisso ו praefixo LXX.

5. שירו לאלהים זמרו שמו
סלו לרכב בערבות
ביה שמו ועלזו לפניו:

6. אבי יתומים ודין אלמנות
אלהים במעון קדשו:

5. *Canite Deo: pſallite nomini eius*
Viam ſternite per deſerta inuecto,
Cuius nomen recreat: Et exſultate
coram eo.

6. *Pater eſt orphanorum et vindex viduarum*
Deus in ſanctuario ſuo.

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 5. לרוכב per ו 32. Sorb.
בערבות omiſſo ו 16. 18. B. Reg.
יה ſiue יהוה LXX Syrus, Chaldaeus, Arabs, Vulgata. ביה Coniect. Ill. Michaelis. כי יה Coniect. Houbigantii.
ועלצו per צ LXX. Addunt praeterea καὶ ταραχθήσονται ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ. Vide Notas.

Verſ. 6. יתומים omiſſo ו 16. et 18. B. Reg.
דיין per duplex י 29. Sorbonae. Cum Piſka MS. Caſſel.

7. אלהים מושיב יחידים ביתה
מוציא אסירים בכושרות
אף סוררים שכנו צחיחה:

8. אלהים בצאתך לפני עמך
בצעדך בישימון: סלה:

7. *Deus, improles domum habitare faciens,*
Vinctos educens cum ebundantia
Dum oppressores nudas habitant petras.

8. *Deus cum exires, ante populum tuum*
Cum gradereris per desertum.

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 7. יחידם ו omisso 32. Sorb.

ומוציא Arabs אסירם omisso ו 32. Bibl. Sorbonae. אסורם per ו omisso ו 16. Bibl. Reg.

בכשרות omisso ו 18. Bibl. Reg. סוררים MS. Cassell.

Vers. 8. כצאתך per כ MS. Cassellan. עמיך MS. Cassell.

בישימן omisso ו 18. Bibl. Reg. et Cassell.

9. ארץ רעשה אף שמים נטפו
מפני אלהים זה סיני
מפני אלהים אלהי ישראל:

10. גשם נדבות תניף אלהים
נחלתך ונלאה אתה כוננתה:

11. חיתך ישבו בה
תכין בטובתך לעני אלהים:

9. *Terra contremuit, etiam caeli ſtillarunt,*
Hic Sinai, praeſente Deo,
Praeſente Deo, Deo Iſraelis.

10. *Largum, Deus fundebas imbrem*
Peculium tuum et morientia ſiti rigabas.

11. *Coetus tuus habitat in eo*
Miſeroque illud benigne rigas.

ארני 12.

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 9. נטפו absque Metech. Caſſell.
אֱדֹנָי אלהים per compendium MS. Dresd.
אלהים omittunt LXX.

Verſ. 10. כוננתָּ omiſſo ה in fine 32. B. Sorh.

Verſ. 11. יִשְׁבוּ per Zeere. MS. Caſſ. אלהים in fine huius verſiculi omittunt LXX et ſequenti commati praefigunt.

12. ארני יתן אמר
המבשרות צבא רב:
13. מלכי צבאות ידדן ידדון
ונות בית תחלק שלל:

12. *Iehoua dat laetum nuncium;*
Virginum annunciantium magnus chorus.
13. *Reges cum exercitibus fugiunt, fugiunt*
Et habitatrix aedium partitur spolia.

14. אם

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 12. למבשרה forte Symmachus. למבשרים LXX. המבשרים f. Chaldaeus. המבשרות omisso Dagesch in ש MS. Cassell.

בצבא forte LXX et Symmachus.

Vers. 13. מלך LXX מלא׳כי per א 16. B. R. sed transfixum est א ab altero librario.

ידיד ידיד LXX.

ידידון ידידון Symmachus et Hieronymus. In MSC. 16 B. Reg. inter duo ד additum est ו ab altera manu.

וחלק vel יחלק olim fuit in codice 27. B. Reg. sed mutatum est in ת a recentiori manu.

14. אם תשכבון בין שפתים
(*) כנפי יונה נחפה בכסף
ואברותיה בירקרק חרוץ:

15. בפרש שרי מלכים בה
(*) תשלג בצלמון:

(*) *forte* היא ככנפי.

(*) *f.* תשלגו צלמות.

14. *Vbi vos* (o reges) *cubueritis in ſqualoribus,*
Similis eſt (aedium habitatrix) *alis columbae argenteis,*
Cuius pennae auro flauo obductae ſunt.

15. *Cum altiſſimus reges diffunderet,*
Denſiſſimae quoque tenebrae luceſcebant.

16. הר

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 14. שפתים per Patach MS. Caſſell. שפים היתם Coniectura Houbigantii. ואברתיה omiſſo ו 27. 29. 48. 16. B. R. 32. B. Sorb. ואי ברותיה addito י MS. Caſſell.

Verſ. 15. מלכים בה omiſſum eſt in MS. Caſſell. ſed adſcriptum in margine. תשלג כצלמון LXX ישלגו Coniect. Houbig. בְּצַלְמָוֶת Chald. ציון Coniect. Ill. Michaelis.

16. הר אלהים הר בשן
הר גבננים הר בשן:

17. למה תרצדון הרים גבננים ההר
חמד אלהים לשבתו
אף יהוה ישכן לנצח:

16. *Mons altissimus est mons basaniticus,*
Mons niualis est mons basaniticus.

17. *Quare inuidetis montes niuales monti huic?*
Cupit Deus habitare eum,
Quin, Iehoua eum in aeternum incolet.

18. רכב

VARIETAS LECTIONES.

Vers. 16. הר רשן Coniect. Houbig. גבנ֑ונים per ו MSC. Dresd. 31. et 32. Sorbon. גבננים cum Rebhia, vel alio distinctiuo maiori: LXX cum Aquila. הרים הר גבננים Coniect. Houbig.

Vers. 17. ארני pro יהוה MS. 27. Bibl. Reg. sed Masorethica lectio in margine adscripta est a recentiori manu.

18. רכב אלהים רבתים אלפי שנאן
אדני בם סיני בקדש:

19. עלית למרום
שבית שבי
לקחת מתנות באדם
ואף סוררים לשכן יה אלהים:

18. *Currus Iehouae bis decies millia, millies millia.*
Dominus inter eos: Sinai eſt in ſplendore.

19. *Aſcendiſti in altum*
Captiuorum duxiſti agmina
Accepiſti dona ab hominibus
Etiam Rebelles ad quieſcendum: Iehoua Deus!

20. ברוך

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 18. יהוה pro אדני 29. Biblioth. Reg. בסיני קדש LXX בסיני בקדש Coniectura Houbig.

Verſ. 19. חלקת pro לקחת. D. Paulus Ep. ad Epheſ. 4, 10. ita Chaldaeus, Syrus, Arabs,

20. ברוך אדני יום יום
יעמס לנו האל ישועתנו: סלה

20. *Benedictus sit dominus cottidie*
Fortunat nos Deus victoriae nostrae.

21. האל

VARIETAS LECTIONIS.

Arabs. De vtraque lectione ita differit Scholiasta MSC. Vaticani apud Cardin. Carafam: ὁ Ἀπόστολος Ἐδωκε εἰρηκε αμφότερά τε γεγέννηται. λαβὼν γὰρ παρὰ τῶν προσιόντων τὴν πίστιν, δωρεῖται τὴν χάριν.

לארם Paulus l. c. Chaldaeus, Arabs, Syrus. אף omisso ו, sed postea addito MSC. Dresd.

סורַיים MS. Cassell. לא שכט עם אלהים Coniectura Houbigantii.

Vers. 20. יהוה אלהים ברוך ברוך. LXX duplicata voce ברוך et huc relato יה אלהים ex versiculo praeced nti. יהוה pro אדני 27. et 29. B. Reg. ישוע׳תינו LXX et MS. 32. Bibl. Sorbonae.

21. האל לנו אל למושעות
וליהוה ארני למות תוצאות:
22. אך אלהים ימחץ ראש אויביו
קרקר שער מתהלך באשמיו:
23. אמר ארני מבשן אשיב
אשיב ממצלות ים:

21. *Deus nobis Deus ad victorias,*
Et Domini Iehouae exitus mortis.
22. *Certe Deus conteret caput inimicorum ſuorum,*
Verticem capitis ruentis ad perniciem in delictis ſuis.
23. *Dixit Dominus ex Baſan reducam*
Reducam ex profunditatibus maris.
24. למען

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 21. אל poſt לנו omiſſum eſt in MS. Dresd. ſed a diuerſa manu additum in margine.
אלהים pro ארני Hieronymus.
ת״צאות omiſſo ו 16. 29. et 48. Bibl. Reg.
Verſ. 23. אש״ב per ו Coniect. Houbigant.
ב״מצלות per ב LXX. ממצ״ול״ת MSC. 32. Bibl. Sorbon.

24. למען תמחץ רגלך בדם
לשון *f.* (*) (*)לשונן כלביך מאיבים מנהו:

25. ראו הליכותיך אלהים
הליכות אלי מלכי בקדש:

24. *Vt tingas pedem tuum in sanguine,*
Linguae canum tuorum ex inimicis portio sua.

25. *Viderunt gressus tuos Deus!*
Gressus Dei mei, regis mei, in splendore.

26. קדמו

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 24. ומחץ LXX et Symmach. Vulgata et Chald.

מאיביך Symmach. omiss. מנהו. Et מאיביך מנהו Arabs. ברם אויביך ולשון כלביך תלקק מנהו Coniect. Houbig.

Vers. 25. הליכ°תיך omisso ו 18. Bibl. Reg. הלוכ°ת omisso ו 32. Sorbonae.

26. קדמו שרים אחר נגנים
בתוך עלמות תופפות:

27. במקהלות ברכו אלהים
ארני (*) ממקור ישראל: (*) *f.* מקור

26. *Praecedunt cantores, ſubſequuntur pulſantes*
In medio virgines pulſantes tympana.

27. *In congregationibus laudate Deum dominum*
Qui eſtis e fonte Iſraelis.

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 26. שרים per ש omnes fere veteres.
אחזי vel אחו֗י per ד֗ arab. LXX ἐχόμενοι.
נ֗וגנים per ו 16. Bibl. Reg. 32. Sorb.
Verſ. 27. במקהל ת omiſſo ו 16. Bibl. Reg.
במקוה pro ממקור Coniectura Houbigant. ממקה transfixo ו 16. Bibl. Reg.

28. שם בנימין צעיר
רדם שרי יהודה רגמתם
שרי זבלון שרי נפתלי:
29. צוה אלהים עזך
עוזרה אלהים
זו פעלת לנו
מהיכליך על ירושלם
לך יובילו מלכים שי:

28. *Ibi Beniamin fratrum minimus*
Dux Principum Iudae in purpuratu,
Principes Zebulon, Principes Napthali.
29. *Conſtitue Deus gloriam tuam*
Adſis fortitudine tua Deus!
Hoc feciſti nobis
Ex palatiis tuis ſuper Hieruſalem:
Quare Reges munera tibi offerent.

30. גער

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 28. רדם per Metegh. MS. Caſſ. רודם plene per ו 32. Sorb. in codice Dresdenſi haec quatuor vocabula omittuntur, ſed addita ſunt in margine. זבולן MS. 29. et 32. Sorb. it. 27. et 48. Bibl. Reg.
Verſ. 29. אלהי לעזך Coniect. Houbigantii-

30. גער חית קנה
עדת אבירים בעגלי עמים
מתרפס ברצי כסף
בזר עמים קרבות יחפצו:

30. *Increpa beſtiam in arundinetis*
Coetum taurorum cum vitulis populorum
Luxurianten. laminis argenteis
Disperge gentes, quae proelia deſiderant.

VARIETAS LECTIONIS.

gantii. עֻזֶּךָ MS. Dresd.

עזה omiſſo ו 31. et 32. Bibl. Sorb. et 16. Bibl. Reg.

מהיכלך MS. Caſſellan. מהיכליך MS. 18. Bibl. Reg.

ירושלים cum י MS. Dresdenſis.

Verſ. 30. חיות LXX.

ברצי omiſſum in MS. Dresd. ſed additum in margine. ברצי כסף omiſſ. in codice 18. Bibl. Reg. ſed additum in margine.

בזר LXX קרבׄת omiſſo ו 18. Bibl. Reg. קרבו ſcriptum in fine lineae omiſſo ת eoque poſtea a manu recentiori adueĉto, quaecetiam virgula, quae forte addita fuit, non amplius apparebat, MS. Dresd.

31. יאתיו חשמנים מני מצרים
כוש תריץ ידיו לאלהים:
32. ממלכות הארץ שירו לאלהים
זמרו ארני: סלה
33. לרכב בשמי שמי קדם
הן יתן בקולו קול עז:
34. תנו עז לאלהים
על ישראל גאותו
ועזו בשחקים:

31. *Venient principes ex Aegypto.*
Aethiopia supplices tendet Deo palmas.
32. *Regna terrarum, psallite Deo*
Canite Domino.
33. *Equitanti in coelis, coelis antiquissimis.*
Ecce dabit cum voce sua, vocem fortitudinis.
34. *Date gloriam Deo!*
Super Israel est magnitudo eius,
Et gloria eius in nubibus.

35. נורא

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 31. מִנִּי Codex Caffell.
Vers. 32. לאדני Coniectura Houbigantii.
Vers. 33. לרוֹכב per ו 32. Sorb. 29. Bibl. Reg. עוֹז 32. Sorb.
Vers. 34. עוֹז plene per ו 32. Sorb.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0154
DFG

35. נורא אלהים ממקדשיך
אל ישראל
הוא נתן עוז ותעצמות לעם
ברוך אלהים:

35. *Terribilis es Deus ex ſanctuariis tuis,*
Deus Iſraelis.
Ille eſt qui gloriam et virtutem praebet populo,
Benedictus Deus!

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 35. ממקדשיך omiſſo י, ſed ſupra addito a manu recentiori. MS. 16. Bibl. Reg. ita Symmachus.

נו֑תן per ו MS. 18. Bibl. Reg. et 32. B. Sorb. יתן LXX.

ותעצ֑ומות plene per ו MS. Caſſell. et 32. Sorbonae. לעמו LXX Arabs, Syrus, Chaldaeus, et ex his Houbigantius.

ANIMADVERSIONES CRITICAE IN PSALMUM LXVIII.

Argumentum. v. 1.

Psalmum Sexagesimum octauum, quem nobis explicandum sumsimus, ex difficiliorum numero esse, omnis affirmat eruditorum consensus. Verborum diuersae et occultae significationes, quae vbique in hoc carmine occurrunt, lectionis corruptio et diuersitas, nexus cogitationum saepe numero occultus, historiae ignorantia, et eximia sublimitas, adiuncto nonnunquam sensu valde abstruso, de difficultate testes sunt clarissimi Maius autem et veracissimum testimonium praebet magna omnium dissensio, de vero huius carminis argumento, quod alii, auctoritatem diui Paulli secuti, de exaltatione et ascensione Christi seruatoris ad superos interpretati sunt tanquam prophetiam; aliis e contrario visum est cum Iudaeorum Magistris, commode explicari debere de exitu Israelitarum ex Aegypto, cuius

cuius in primis carminis versiculis mentio facta est. Alii itidem vtriusque argumenti difficultates vbique obuias et fere insolubiles videntes, aliam viam ingressi, alia in hoc carmine historice dicta esse statuerunt, alia autem prophetice prorsus esse intelligenda. Nostrum non est, omnia, quaecunque a tot tantisque interpretibus sexcenties dicta et ad nauseam vsque recocta sunt, repetere, cum omnia haec interpretamenta, in *Grotii*, *Geieri*, *Raueti*, *Clerici* aliorumque commentariis deprehendantur: potius quae nostra sit de hoc carmine opinio eruditorum examini submittenda, nobis sumimus.

Totum hoc carmen non est nisi ἐπινίκιον, a Dauide compositum, cum arca foederis, post Iebusitarum expulsionem, ex aedibus *Obed Edom* in montem Zionem transferretur. Hac occasione priscam et insignem Iehouae victoriam, cum ex Aegypto Israelitas educeret, non solum in memoriam reuocat, sed ad ipsa victricia Dei proelia, cum inimicis Israelitarum in desertis Arabiae gesta digreditur. Hinc ipsissimis iis verbis vtitur, quibus Moses, eum in proelium ar-

ca foederis esset profectura, Deum alloqui consueuerat, et sublime Deborae canticum imitatur, quod poetria ista, post deuictum Sisseram in honorem Iouae victoris cecinerat. Omnem non solum describit processionem principum Iudaeorum arcam foederis comitantium, sed ipsius Iouae triumphum, et de aliarum quoque gentium submissione vaticinatur. Si qua est in hoc carmine prophetia, seu praedictio de ascensu Christi ad superos, quomodo quidem a Diuo Paullo explicatur in Epistola ad Ephesios Cap. 4, 8. 9. 10. allusio potius esse videtur, quam merum vaticinium, nisi omnem totius odae nexum dissoluere velis. Chorum nullum video, quod *Reuerend. Rueckersfeldero in Sylloge Commentationum, p. 127. sqq.* quidem visum est; quodsi omnia ista carmina, vbi sermones aliorum inducuntur, choros constituerent, permulta ex Horatii, Pindari, aliorum carminibus, choris distinguenda essent, in quibus similis est orationis varietas et commutatio. Haec vero ipsius carminis tractatio amplius docebit.

Meliora

v. 2.

Meliora verba et sublimiora vix eligere potuisser, diuinus vates, quibus tam sublime ἐπινίκιον inchoaret. Non musas alloquitur, non Deum, qui numine silo sibi adsit; sed ipsum iam in pectore sentit Deum, et memor antiquarum victoriarum sine illo praefamine vt Horatius ait,

in medias res
non secus ac notas auditorem rapit,

et Iehouam ipsum vindicem excitat. Αὐτη γὰρ ἡ ἀρετὴ, inquit Scholiasta vetustus in in Homeri Iliada, ποιήσεως τὸ ἀπὸ τῶν μέσων ἄρξασθαι προϊόντα τὲ καὶ τὴν ἀρχὴν διηγεῖσθαι κατὰ μέρους. Deum fingit heroa, quo exsurgente omnis turba hostium fugit: sicut alio loco, vti somno excitatum militem, qui primo hostium classico arma arripit, et furens in media agmina irruit, vtrinque cadentibus hostibus.

Quod ad vocem יפוצו, scriptura eius valde dubia est. Reddunt vulgo *diffluere*, ita interpretatus est Ill. Michaelis; vel *dilabi*, quomodo placuit Reu. Rückersfeldero. Binae versiones Doct. Schultensii auctorita-

te

te nituntur, qui locum parallelum Num. 10, 35. ita transtulit in Originibus: *dilabantur inimici tui*, tracta metaphora ab *aquis diffluentibus*. Gieuharii verba docent tantum, vocis فاض ſignificatum eſſe *aquarum abundantium*, animique liberalis et munifici. Elegans inde efficeretur imago late exuberantis, vniuerſumque campum operientis exercitus, minime vero diffuſi, et diſſipati, quae vera verbi יפצו ſignificatio eſt a graecis expreſſa διασκορπισθήτωσαν. Mallem itaque admittere radicem פצץ et legere וְיִפָּצוּ *confringantur*, *diſſipentur*, فضّ enim de *populo* in vſu eſt, qui *diſſipatur* et *diſſicitur*, vti videre eſt apud Schultenſium in Originibus p. 113. Pulcherrima ſane tunc eſt imago et iſti ſimilis, quam Homerus pingit Iliad. ε, 87. vbi *Tydides* in Troianorum phalangas irruit, hoſtium vndecunque diſpellens agmina.

v. 3.

Difficillimam lectionem textus maſorethici תִּבְרַח in paſſiuum יִבְּרְחוּ *diſpellentur* commutauit Ill. Michaelis in Epimetro ad Lowthum Tom. 2. p. 545. aſſentientibus ni-

nimirum LXX. Syro, Arabe, Vulgata et Chaldaeo. Ex his vero duo posteriores eximendi sunt: Vulgata habet, *deficient*, ita quoque Chaldaeus יִשְׁקְפוּן futuro actiuo, quod ab interprete latino Paraphraseos in Polyglottis anglicanis expressum est passiue: *propellantur*. Nihil tamen horum dissensus impedit, quo minus ista lectio verissima et commodissima esset queat; demonstrat certe istos quoque interpretes יִנְדְּפוּ non autem תִּנְדֹּף legisse. Paullo facilior esset fortassis commutatio, et Iudaeorum scribendi generi magis consentanea, si legeres תְּנַדְּפֵם *dispelles eos*. Sed neque cum יאבדו conuenit, neque auctores habet ex antiquis. Pro ἐκλιπέτωσαν MS. Gr. 41. Bibl. Reg. habet ἐκλειπέτωσαν. Quod ad vocem נדף eius sensum nemo accuratius expressit arabe qui ذوب transtulit quod τῷ ذوب est plane Synonymum.

„*Vti cera liquescit*. Expressit eandem imaginem Micha 1, 4. vbi aduenientem Deum talem fingit, a cuius facie vniuersa natura sacro quodam terrore afficiatur:

יהוה

יהוה יצא ממקומו
וירד ירך על במותי ארץ
ונמסו ההרים תחתיו
והעמקים יתבקעו
כדונג מפני אש
כמים מגרים במורד:

Iehoua ex loco suo prodit,
Descendit et super fastigia terrae incedit.
Sub pedibus eius montes liquescunt,
Et valles sese descindunt:
Vt cera coram igne
Vt aquae praecipites per decliue ruentes.

Eandem meraphoram et maiori audacia adhibet *Abu-Ela* heroem suum celebraturus, quae ita latine reddimus:

Liquescere facit terror eius omnes gladios,
Et nisi eos vagina continuisset, certe eis diffluendum fuisset.

Vide *Fabricii Specimen* Arabicum p. 70. Nimis tamen audax videtur, et dum sublimitatem sectatur, tumidus euadit et in id vitii incidit, quod τὸ μειρακιώδες, frigidum et puerile dicendi genus vocat Longinus.

Me-

Melius alio loco noster, miserias suas metumque describens ita canit:

היה לבי כדונג נמס בתוך מעי׃

Cor meum in medio intestinorum meorum,
uti cera liquefacta.

„*peribunt rei.* Vocem רשע non impium vel peccatorem significare, sed *reum* potius et *iniustum* ab Ill. Michaelis probatum est *in Beurtheilung der Mittel, die hebraeische Sprache zu verstehen*, et in *Epimetro ad Lowth. p. 548.* Aben Ezrae verba ad hunc locum, obseruationem hanc confirmant: explicat hunc Psalmum de Dauidis victoriis, et dum צוריקים Israelitas putat, ex Dauidis partibus, quibus iusta fuisset belli causa, רשעים *iniustos* interpretatur. Confer huc radicem arabicam غشم quae *luctam* et *oppressionem* alterius significat. Pro ἀπόλοιντο, quod Graeci habent, MS. 40. et 41. Bibl. Reg. habent ἀπολοῦνται, quae vera lectio est.

v. 5

„*viam sternite.* Syrus et Chaldaeus et ex Rabbinis nonnulli, metaphoricam סלל signi-

significationem quae *laudationis* est, amplectuntur. Sed adeo est incommoda, vt veram in hunc versiculum ταυτολογίαν introduceret potius, quam elegantem parallelismum, quem verba שירו et זמרו iam sua sponte efficiunt. Propria significatio ab Arabe, Latino, Diuo Hieronymo et graecis expressa, melius conuenit, ὁδοποιήσατε يسروا *iter facite, viam praeparate.* Omnium accuratissimus est Aquilas, Etymologiam simul assequutus, ἀποσκολοπίσατε, *festucas extrahite, virgulta remouete, quae in via sunt.* Eodem sensu verbum شلا apud arabes in vsu est, de extrahendis festucis ad sternendam viam.

„*per deserta inuecto.* Imago vere sublimis et valde poetica aduentantis numinis descriptio. Altitonantem manu sua Israelitas ex Aegypto educentem, curru equisque tonantibus per deserta Sinaitica vectum pingit, tanquam heroa et ducem exercitus: qualem nobis Iouem pingit Homerus Iliad. θ'. 41. de cuius loci significatione et sensu vere sublimi videsis Maximum Tyrium Dissert. XVI. p. 172. et Horat. Lib. I. 34. et

Kleistius

Kleistius noster: *Groß ist der Herr, die Himmel ohne Zahl sind seine Wohnungen, sein Wagen Sturm; und donnernde Gewölke und Blitze sein Gespann.* — Duplex autem est verborum ebraicorum explicatio in quam vniuersa antiquitas diuisa est, quarum vnaquaeque sensum adeo elegantem et sublimem efficit, vt quam amplectaris dubites. Omnia posita sunt in voce ערבות, diuerso modo ab antiquis explicata. De occidente interpretati sunt LXX. Syrus, Arabs, Vulgata, et Chaldaeus, qui ex Iudaeorum somniis de nono coelo, vbi sublime solium sibi posuerit Deus, loquitur. Huic accedunt Aben Ezra, Rambam, et R. Nathan, qui כרור עליון, *Sphaeram altissimam* interpretatus est. Cauendum est hic, ne cum *Clerico* Iudaeos hanc opinionem de coelorum multitudine ex philosophia scholastica hausisse putemus: in ipso enim Corano hoc cogitandi genus iam reperies, vbi Muhammedes Surat. 2, 29. ita differit: *Ipse est, qui vobis creauit, quaecunque in terra sunt, deinde animum ad coeli creationem applicauit, et septem coelos,* سبع سموات *creauit.* Adde Surat. 65. in fine. Quod quidem valde poetice a Muhammede dictum puto, a

commentatoribus autem Corani, vt multa alia, ſtolide explicatum. Sane menti humanae eſt valde conſentaneum, fingere ſibi eum, qui βαθυσπᾶν ζεροπᾶν κεραυνῶν πρύτανις eſt, ſupra ſphaeras omnes elatum in ſummo coelo ſolium ſibi habere conſtitutum. Quare etiam Muhammedes Surata 69. ita differit: *Rogauit quidam de poenis inopinato in impios deſcendentibus, quibus non eſt, qui repellat, a Deo ſuper ſphaeras ſedem habente.* Pingit hic Muhammedes Deum ſupra omnes ſphaeras elatum, inde ab altiſſima ſede in impiorum vertices, fulmina adeo repentino ictu deiaculantem, vt nemo ea repellere valeat. Qualem *Aeſchylus* Iovem fingit,

— — — — πεδάζοισις τότιοις
— τινάσσοντ' ἐν χεροῖν πύρπνουν βέλος.

Sed vt ad rem reuertar, obſeruandum eſt, explicationem ערבית *de occidente*, confirmari arabiſmo, vbi غرب de ſole *occidente* vſurpatur, vnde مغرب *occidens* eſt, Surata 2. et omne, quod ad plagam occidentalem vergit غربي dicitur. Et haec quidem explicatio Iehouam nobis fingit ab vltimo occi-

cidente, sine si malis, ab Aegypti finibus, cherubis vectum, montem Sinai adscendere. Omnia venerantur aduentantem Deum, hostes funduntur et diffugiunt, ipso Deo Abrahamidas ex Aegypto educente. Nescio sane, quid pulcrius quidue hac imagine sublimius possit inueniri. Altera supereſt explicatio, quae D. Hieronymum et Symmachum auctores habet, dum ערבה *desertum*, ἀοίκητον interpretantur. Fauet huic explicationi secunda coniungatio verbi غرب, quod de pabuli aduectione *ob pastus in* [illegible] intelligitur, vnde غروب Ebr. ערבות *depressiores terrae partes* vocantur, quas in oriente, nisi aqua irrigentur ex montibus defluente, plerumque steriles et desertas esse, docent relationes hodoeporicorum. Atque hac significatione vocabulum ערבה occurrit Iob. 24, 5. Iesa. 51, 3. Ierem. 50, 12. Nihil quoque deest huic explicationi, quod pulcrum, quod elegans, quod aptum vocari possit; quare eam quoque Ill. Michaelis arrisisse, minime miror. Illud praeterea habet proprium, quod sola regulis linguae ebraicae conuenit, vbi, quantum memini, עַרְבַּיִם quidem duali numero, de *vespera*

aduenientе, nunquam autem ערבות de *occidente* vsurpatum video, numero pluritatis. Secundum hanc igitur explicationem per deserta arabiae graditur, seu curru vehitur Iehoua, et armata manu victricem gentem educit Israelitarum. Sentit praesens numen totum desertum, et aduenienti, ac mox montem Sinai occupaturo, iter per deserta paratur.

„*cuius nomen recreat.* Omnes veteres interpretes praeter Symmachum, quintam versionem et Hieronymum, ita transtulerunt, ac si scriptum esset יה שמו, aut יהוה שמו, *Iehoua est nomen eius.* Sunt qui in littera ב singularem sibi emphasin deprehendisse videantur. Sed nodum in scirpo quaerunt. *Salomo Ben Melech* ita disserit de hoc loco: *Laudate eum nomine Iah, quoniam hoc est nomen eius.* Sed falsum est hoc interpretamentum, et ex incommoda, quam supra reiecimus verbi שלל significatione petitum. Scriptura vocis ביה non solum ex tanta veterum diuersitate, sed ob Iudaeorum de nomine *Iehoua*, delirantem superstitionem, suspecta satis est. Quid vero in hoc genere valeat Iudaeorum delirandi libido,

do,

do, clarissime patet ex Sota 7, 6. et ex *Gemara* in *Berachoth*, vt alia loca praetermittam. Lectionem שמו יה olim in codicibus ebraicis adfuisse, demonstrat scholiasta graecus ad Codicem Vaticanum MSC. apud Cardinalem Carafam, qui ita differit: τὸ μὲν κύριος συνηθὲς παρ' Ἑβραίοις Ἀδωναΐ. ἐνταῦθα τὲ λέγεται παρ' Ἑβραίοις Ἰ'Α ΣΕΜ'Ω. — Aliam et ob nouitatem et elegantiam, insignem explicationem dedit Ill. Michaelis, qua simul scripturae consulitur, et noua vox lexico ebraico restituitur. Legit nimirum בִּיָּה syriasmo confirmatus, vbi בְּיָא est *solari, recreare*. Cui explicationi nisi vnicus desit veterum consensus, nulla certe commodior, elegantior, et veritati magis proxima potest inueniri. In fine huius commatis addunt LXX. ταραχθήσονται ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ. Non dubitamus, quin hoc additamentum spurium sit, et ex scholio quodam marginali petitum, nisi malis interpretem graecum vltima verba praecedentis versiculi וישישו לפניו repetiisse ex oscitantia, et in memoria habuisse simul radicem arabicam شوّش quae de *turbata formidine mente* in vsu est. Variant in hac lectione Codices

graeci MSTI. in aliis enim hoc additamentum adparet in fine quinti versiculi, in aliis itidem sequenti commati praefixum est. In Codice 40 et 41 Bibliothecae Regiae, legitur ταραχθήτωσαν, quomodo in Editione Psalterii quod Geneuae prodiit Anno 1516. et in Codice 21. Bibl. Reg. prorsus omissum est.

v. 7.

„*improles domum habitare faciens.* Recte ita יחירים interpretatus est Ill. Michaelis, dubitante interea seu ineptiente vniuersa fere antiquitate. LXX reddunt: τοὺς μονοτρόπους. Vulgata: *vnius moris.* Hos sequitur Arabs in Polyglott. angl. نوي الخلق الوالد *vnius indolis, vnius naturae.* Et arabs Psalterii Geneuensis de anno 1516. *pios* المتقين intelligit. Ad veritatem accedit paullulum *Chaldaeus* qui ita habet: די מזוג זוגים יחיראין לבר זונא כחרא: *Deus est, qui coniugia vnica copulat cum filio legitimo simul.* Syrus peranxie textum sequitur vt verum sensum mihi assecutus esse videatur. ܐܠܗܐ ܡܘܬܒ ܝܚܝܕܝܐ ܒܒܝܬܐ.

Deus

Deus facit vnicos sedere in domo. Egregia est et liberos procreandi Ebraeorum cupidini imago valde accommodata, vbi is, qui solus ante in vacuis errauerat aedibus, vt

— μιν παῖδες ποτὶ γόυνασι παπάζουσι,

domum videat amplificatam et

breui — liberosque dulces
et longo ordine blandulos nepotes.

IOH. SECVNDVS.

„*Et vinctos educens cum abundantia.* Varii sunt et discordes inter se veteres interpretes in huius loci explicatione. LXX quos Arabs et Vulgata sequuntur, sine dubio respexerunt ad radicem קשר, quae *ligandi* et *constringendi*, hinc *corroborandi* potestatem habet, vti in obseruationibus suis ad Genesin p. 187. probauit *Albertus Schultensius*. Hinc LXX ἐν ἀνδρείᾳ, Arabs et Vulgata بقوة *in fortitudine*. Negari prorsus nequit sublimitas, quam haec translatio, seu comparatio potius vocis כשר cum קשר, huic loco praebet; sed veritatis argumenta nulla habet. Pingit heroem, qui armata manu ahenea vincula rumpit, vinctum populum libe-

rat, et ſeruile iugum miſerorum collis detrahit. At eandem imaginem, ſeruata voce כשר, etiam exprimi poſſe arbitror. Eſt nempe كسر apud arabes, *vim hoſtilem frangere, hoſtes in fugam conüicere*, inde كسر *clades exercitus hoſtilis, viriumque fractio.* Tamen nullus locus eſſe poteſt huic explicationi, ob vocem צחיחה, quae כושרה directe eſt oppoſita. *Arias* et *Cocceius* manifeſto errore כשרות cum קשורים confundunt, decepti fortaſſis auctoritate *R. Salomonis ben Melech*, qui ad hunc locum ita diſſerit: כושרותיהם השבעות הכבלים וה"כף כענין ק"וף כמו קישורים כי ה"כף והק"וף ממצא אחר וכן מי תכן את רוח י"י בכף תקן תקן משלים בק"וף והעתין אחר: i. e. *Coſcharoth ſunt annuli compedum et* ד *Caph idem eſt cum Kuph, vt in Kiſchurim: Caph enim et Kuph ſunt literae vnius organi, vt in illo* מי תכן את רוח י"י *cum Caph et* תקן משלים *cum Kuph: ſenſus idem eſt.* En nobilem iſtam Grammaticorum regulam de literarum vnius inſtrumenti commutatione, ad quam, tanquam ad ſacram anchoram inſcii et rabbinizantes critici ſolent confugere. Quem autem ſenſum haec verba habeant, do-

docet Ill. Michaelis, ex versione Syriaca, vbi est ܒܒܫܝܪܘܬܐ *cum felicitate*, cui addo Chaldaei translationem בְּכֵישְׁרִין *cum pompa*. Quae explicatio non solum facilem sensum praebet, sed talem, qui oppositae notioni צחיחה est valde consentaneus. De voce כשר ex radice arabica كثر illustranda egit popularis noster Doctiss. *G. Dedtharding in Dissertatione, qua dicta quaedam V. T. illustrantur ex lingua arabica.*

„*nudas habitant petras.* Voci צחיחה duo verba arabica faculam accedunt, صخّ nempe, *rei solidae in duram illisio*, vnde صخّة *sonum* indicat *ex lapidis in petram illisione facta*, et ضحا vnde ضاح *locum solis radiis expositum*, *tostam* fere et *siticulosam regionem.* Ita *Silius Italicus* Lib. I. 59.

— — — — *penitusque medullis*
Sanguinis humani flagrat sitis.

Adde Coranum Surata 20, 117. Hinc צחיחה, ex vtriusque radicis coniunctione, nudam petram significat, in qua exigua

etiam terrae pars nimio sole vsta est. Hanc significationem confirmant praeter *Chaldaeum*, *Aquila* et *Symmachus*, quorum ille transtulit λεοπετρειάνδε, hic vero κάυσωνος ξηρότητα. Quibus assentitur D. Hieronymus: *in ficcitatibus*, in cuius forte Codice צחיחות scriptum fuerat. Horrenda sane haec est sterilitatis imago, et abundantiae isti ac felicitati bene opposita, qua ex captiuitate eductos cumulatos fuisse, superiori hemistichio poeta dixerat. Notanda erit adhuc a nobis singularis omnium fere interpretum vocis צחיחה translatio, quae ipsum quoque *Clericum* in admirationem duxit. Omnes enim vnanimi consensu de *sepulchris* hanc vocem interpretantur, LXX, Syrus, Arabs, Vulgata, Aethiops. Inconueniens mihi quidem videtur, et nimis redolere recentiorem Iudaeorum morem, cum neque comburerent, neque terrae mandarent cadauera, sed in Cameris in petra excisis conseruarent: Tamen non video, quid sibi hoc interpretamentum velit, nisi forte, de Aegyptiorum in mari rubro subuersione cogitarint, vbi sane probandum esset, vocem צחיחה eandem habuisse *regni mortuorum* notionem, quae de שאול notissima est significatio.

v. 8.

v. 8.

„*ante populum tuum*. Expeditionem Iehouae per deserta Arabiae, et Sinaiticum inprimis descripturus, omnem artem adhibet, vt verbis quoque Deo et re dignissimis vtatur. Ipsis enim verbis grauitas quaedam inest, quae gressum quoque apte exprimere posset gradiui Dei. Dictio est ἀποστροφικὴ et imitatio celebris istius Deborae Epinicii Iud. 5, 4. 5. Quod ad vocem ישימון, *Aquilas* eam interpretatus est ἠφανισμένην, quomodo ישימות ab eo translatum est 1. Sam. 23, 19, vbi videsis *Eusebium* et Hieronymum, in Hexaplis a Montefalconio excitatos. Deut. 32, 10. fusius explicat: ἐν ἀτάκτῳ, ἀοικήτῳ, ἠφανισμένῃ. Pro τὴν ἔρημον MSS. 40. et 41. Bibl. Reg. habent ἐν τῇ ἐρήμῳ, et in posteriori διάψαλμα in fine versiculi omissum est.

v. 9.

Nescio an quidquam habeat poesis, quod sublimitate dictionis et sententiarum haec verba superare possit. Naturam pingit, et ita quidem, vt sacrum quendam terrorem simul incutiat, nulla diuini splendoris omissa particula. Ipse Deus adest, sentit gressum

sum eius terra, et extremiscit; vehitur volucri curru per aethera, et coeli fugientes altitonantem sentiunt, densa eis caligo offunditur, dant pluuias atque imbres. Mons quoque Sinai, e radicibus suis fere euulsus concutitur et caput superbum demittit. Simili fere imagine Muhammedes vtitur eum terrorem descripturus, quem in die iudicio orbis terrarum destinato, natura vniuersa sensura sit, quem talem futurum dicit, *quo coeli vti fusum liquidumque metallum, et montes lanae similes fuerint vento agitatae.* Vbi notandum est, eum paullo ante de Deo summi coeli sessore locutum esse, in peccatorum capita fulmina deiiciente. Surat. 69. coll. 99. et 101. Simili fere ratione Apollinis aduentum describit *Callimachus*, statim in initio *hymni in Apollinem*, vbi ita canit:

Ὅιον ὁ τῶ πόλλωνος ἐσείσατο δάφνιος ὄρπηξ
Ὅια δ' ὅλον τὸ μέλαθρον ἔκας ἔκας ὄσις ἀλιτρος.
Καὶ δή που τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ φοῖβος ἀράσσει.
Οὐχ' ὁρᾶς; ἐπένευσεν ὁ δήλιος ἠδύ τε φοῖνιξ

Εξα-

Ἐξαπίνης, ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει.

Αὐτοὶ νῦν κατοχῆες ἀνακλίνεσθε πυλαῶν

Αὐταὶ δὲ κληῖδες. ὁ γὰρ θεὸς οὐκέτι μακρὰν.

Adde his Horatium Lib. I. Oda 34, 9. Homerum Illiad. ξ. 283. Virgil. Aen. Lib. III. 90. et VI. 255. Adde et Psalm. 114. quem supra excitauimus, et *Illustr. Michaelis Epimetrum ad Lowth. Tom. 2 pag. 548.* Quod ad זה סיני, pertinet omnino ad praecedens רעשה, non impediente generis diuersitate. *Houbigantii* auriculae nimis tenellae duram hanc constructionem perferre nequeunt, omnem igitur versiculi huius ordinem iuuertere praetulit. Stupiditas audaciorem criticum facit, inquit *Desbillons in fabulis.*

v. 10.

„*Largum imbrem.* גשם arabice غدث proprie est *ad pugnam vocare.* Ita occurrit in carmine *Kurai Ibn Unaif* v. 4. vbi poeta ita fatur:

لا يسالون اخاهم حين ينديهم
في النايبات على ما قال برهانا

Non quaerunt a fratre ſuo cum eos ad pugnam vocat,
In fortunae viciſſitudinibus teſtimonium eius, quod dixit.

Vbi a ſcholiaſta arab. vox נדב etiam de eo explicatur, qui promtus eſt ad negotia. Inde נדיב eſt *ſpontaneus*, *largus*. Deus itaque a poeta pingitur, ob cuius quidem aduentum vniuerſa natura, terrore quodam corripitur, cuius tamen praeſentia vbertatem vbique ſimul afferat: quomodo de Auguſto *Horatius Lib. 4. Od. 5*, ſi magna paruis componere licet:

— — — *vultus vbi tuus*
Affulſit, populo gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.

„*peculium tuum.* Kimchius cum Schmidio, ſub voce נחלה Iſraelitas intelligendos putat: forte ex Chaldaeo qui vocem נחלה *Eccleſiam Dei* interpretatus eſt. Num ideo Iſraelitae ſiti confecti, largis imbribus irrigantur, quo melius animalia in eis habitare poſ-

possint? Et quae sunt ista animalia in hoc peculio Dei, Israelitis, habitantia? Insipidum interpretamentum: Spectatum admissi! . . . . Est vero peculium Dei desertum Sinaiticum, et ipse mons Sinai, quem hic vti primum Iehouae sanctuarium poeta nominat, quique Exod. 3, 5. terra sancta dicitur, quod docet *Ill. Michaelis ad Lowthum p. 549.* Ea enim loca, vbi singulari ratione hominibus apparuisset numen diuinum, Deo sacra eiusque peculia habebantur. Hinc 1 Reg. 19, 8. *Horeb*, mons Dei vocatur, et montem Sinai طور التجلي *montem apparitionis*, et طور الله *montem Dei* vocare solent arabes, ob ἐπιφάνειαν ibidem Moysi factam. Ita Danai vrbs Iunoni sacra ἥρας δῶμα dicitur apud *Pindarum Nemeic. ι, 3.* et vniuersa Sicilia ἱερὸν περσεφόνας, quod cum Cerere matre sua praecipue ibi colebatur. Conf. *Ciceronem Act. in Verrem. 4. Cap. 48.*

„*et morientia siti.* Ita hunc locum expressit Illustr. Michaelis in Epimetr. ad Lowthum. Vocem נלאה, quae accurate respondet τῷ لاي arabum, quod *de nimio sole, febri,*

febri, et *laſſitudine ex morbo orta* in vſu eſt, omnes quoque veteres de aegritudine et infirmitate recte interpretati ſunt. Egregiam efficit imaginem terrae quaſi febri correptae et emortuae, orientalibus non inſolitam. Ita Surata 2. Corani, v. 159. *Et quantum aquae Deus deſcendere fecit in terram, qua illam viuificaret, poſtquam fuerat emortua.*

v. 11.

„*Coetus tuus.* Chaldaeus paraphraſtes, *vitam*, ſeu *viuificationem* interpretatus eſt. Egregius hinc efficitur ſenſus, naturamque videmus largo imbre animatam et quaſi recenter natam, qua

— *omnis ager — omnis parturit arbos,*
Et frondent ſiluae, nunc formoſiſſimus annus.

Verum ſi hanc explicationem admittere velis, mutanda erit neceſſario lectio et cum Chaldaeo legendum תושיבת ſeu תושיבת *conſtituiſti, collocaſti.* At Maſorethicam lectionem retinemus, et aequi potius eſſe, quam aurium deliciis nimis indulgere volumus. Reliqui omnes interpretes חיתך *de animalibus*

libus explicant, et nisi prorsus חיותך legerint plurali numero, certe pro nomine collectiuo habuerunt. Israelitarum turba hic intelligenda esse videtur, per Sinaitica deserta diffusa, laete interdum frugibus vtens, in desertis a Deo benigne irrigatis prouenientibus. Huic quoque explicationi assentiunt, *Aben Ezra*, qui קהלתך interpretatus est, *Raschi*, qui עדתך transtulit, et *R. Salomo ben Melech*, qui de hoc loco ita disserit: פירוש עדתך וכן חית פלישתים רוזת קנה ופירושם עדה: *Explicatio huius vocis est Edah. Ita dicitur Chaiath Phelisthim, et Chainth Kanneh, quod Edah* (coetus) *explicatur.* Adde 2 Sam. 28, 11. 13. Ier. 57, 10.

„*habitat.* ישב hoc loco accipiendum est de quieta et ab armorum strepitu remota sede, vti καθίζειν est apud Homer. Iliad. β', 191.

— αὐτός τε κάθησο καὶ ἄλλους ἵδρυε λαούς.

Iliad. γ', 67. 68.

— εἰ μ'ἐθέλεις πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι. ἄλλους μὲν κάθισον Τρῶας καὶ πάντας ἀχαιούς.

cum quo loco conferendus est v. 78. vbi

— τοὶ δ' ἰδρύνθησαν ἅπαντες.

Vide Schol. v. 68.

LXX τὸ יושב interpretati sunt κατοικεῖν, quae primitiua vtriusque vocis significatio est, *viuere, esse in loco.* Ita *Pindarus de Hyperboreis* Πυθ. ί, 64.

Νόσοι δ' οὔτε γῆρας ἐυλόμενον
Κέκραται ἱερᾷ γενεᾷ. πόνων
Δὲ καὶ μάχαν ἄτερ
Οἰκέοισι. φυγόντες
Ὑπέρδικον νέμεσιν.

v. 12.

Postquam omnem splendorem et maiestatem poeta descripsit, qua Abrahamidas ex Aegypto eduxit Deus, iter Dei per deserta arabiae, et aduentum in montem Sinai: ad reliquas et insignes victorias transit, quas de Midianitis et Palaestinensibus reportauerant Israelitae. Equidem non omnem belli adparatum describit, vel singula proelia recenset, sed victorias tantum, et in medias quasi res ab ipso Deo raptus, choros ouantium puellarum; videt ἐν ἑκάσ-

σει

dei diuina, hilari cantu nubibus et coelis victorias annunciare: fere vti *Langius* noster in Epinicio Friedbergensi: *Sinds Feinde? Nein, es sind die Sieger.* etc.

In vocis המבשרות explicatione, ineptiam suam, et quam inepti sint ad elegantias poeseos percipiendas satis declararunt Magistri Iudaeorum. Hunc enim locum in *Gemara Schabbath* fol. 88. ita explicant: אמר ר' יוחנן מאי דכתיב ה' יתן אמר המבשרות צבא רב · כל דבר ודבר שיצא מפי הגבורה נחלק לע' לשונות תנא רבי ר' ישמעאל ובפטיש שפוצץ סלע מה פטיש זה נחלק לכמה נוצוצות אף כל דבור ודבור שיוצא מפי הקב"ה תחלק לע' לשונות. i. e. *Dicit R. Iochannan, quaenam est eorum verborum explicatio:* Iehoua dat laetum nuncium, annunciantium est ingens chorus? *Vnumquodque verbum, quod ex ore Iehouae prodiit, in LXX linguas diuisum esse, indicatur hoc dicto. R. Ismael locum parallelum excitat* (Ierem. 23, 9.) *vbi dicitur:* sicut malleus contundens saxa: *Quaestio est, quid est illud:* sicuti malleus? *Sicut dissilire facit innumerabiles scintillas, ita quoque omne verbum Dei, quod ex ore Iehouae prodiit in LXX linguas diuisum est.* Eae nugae Thalmudistarum de promulgatione legis in Sinai

hunc locum explicantium! quomodo etiam Chaldaeum sensisse probabile est, dum mira generum metamorphosi sub voce המבשרות Moysen et Aaronem intelligit, nisi forte מבשרים legerit, quod LXX in suis codicibus habuisse videntur, et ex his Vulgata simul cum Arabe. Tamen mihi in explicatione potius errasse videntur, ob desuetudinem, in quam eorum tempore, iste mos abierat, qui lucem suam huic commati accendit. Peculiares enim victoriae praecones in oriente virgines esse solent. Tecta aedium percursitant, in viis publicis epinicia canunt, et tibiarum lyraeque sonitu vniuersam regionem implent. Cuius rei exempla occurrunt Exod. 15, 21. Iudic. 11, 31. 1 Sam. 18, 7. 2 Sam. 1, 20. Quod ad vocem בשר, arabismi, valde se ignaros probant, qui de *laeto nuncio* eam in vsu semper esse arbitantur. Interdum etiam de *malo nuncio* intelligitur, vnde sensum generaliorem verbo בשר conuenire, certissimum est. Ita occurrit Surat. 3, 21. وبشرهم بعذاب اليم *et annuncia eis poenam discruciantem.* De laeto autem victoriae nuncio frequentior vsus est, vnde arabibus quoque

dies

dies amissi proelii يوم بلا باش dicitur. Vide Schultensii Excerpta ex Ispahanensi, v. 20. adde Iesaiae 52, 7.

v. 13.

„*Reges cum exercitibus fugiunt.* Audacissimam textus ebraici mutationem suscipit *Houbigantius*, dum verba commatis 15. his anteponenda censet hoc ordine:

בפרש שדי מלכים מלכי צבאות ירוץ

Prouocat quidem ad ipsius Dauidis auctoritatem; tamen vereor, si ex mortuis rediret Dauides, ne ad Grammaticos ablegaret hominem. Certe sine omni auctoritate et pulcritudinis sensu tentata mutatio est. Lectio τῶν LXX quam supra excitauimus infra textum, clarum quidem, sed impeditum sensum efficit: Aliis, qui Vulgatam cum graeca versione conferunt, difficilis fortasse potuit videri, ob vocem δυνάμεων, quam *Vulgata*, *Virtutum:* transtulit; Sed graecis quoque δύναμις de copiis et exercitu in vsu est. *Chaldaeus*, vnus omnium vidit, a נרר petendam esse vocem ירון, dum ita interpretatus est: מלכותא עם חיליהון אשלטלו

מן פלטריהן: *Reges cum exercitibus suis fugiunt a praetoriis suis.* Valde poetica haec est *fugientium* militum imago: qualis est apud Virgilium *Aeneid.* XI. 869. vbi

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas,
Disiectique duces desolatique manipli
Tuta petunt.

Disiecti autem in fugam reges, ii mihi ex totius carminis nexu videntur, qui in expeditione Israelitarum, cum Palaestinam occupatum irent, ab eis fusi et superati sunt, Amalekitae, Phoenices, Madianitae, quas victorias accurate satis describunt Commentarii Mosaici. Quomodo autem Syriae Reges a Dauide superatos ex 2 libro Samuelis Cap. VIII. huc referre possit *Clericus*, qui nobiscum hoc epinicium de translatione arcae foederis in montem Zionem explicat, mihi quidem obscurum est, cum Syriae reges, multo post expulsos Iebusitas victi demum fuerint, siquidem, quod arbitramur, fides habenda est sacris scripturis.

„*Et habitatrix aedium.* Vocem Ebraicam נוה a נאה *pulcer fuit*, deriuarunt LXX et Aquila, dum ὡραιότητα τοῦ ἐικου, transtulerunt.

Pro

Pro καὶ ὡραιότητι in MS. 40. Bibl. Reg. legitur [illegible]: perperam. Veram deriuationem et sensum huius vocis assecutus est R. Salomo ben Melech, qui ad hunc locum ita disserit: נות תאר סמוך ותאר האישה בלשון היוה לפי שהיא יושבת בבית תמיד; *Nevat est status constructus, et foeminini generis hoc loco, quoniam vxor semper domi sedet.* Adde οἰκούρημα Graecorum, de quo videsis *Euripidem in Oreste.*

v. 14.

Diu dubius haesi, vtrum de his verbis, quidquam dicerem, an plane omitterem, testificaturus simul silentio, me vere difficillimi huius commatis sensum nescire, an aliorum coniecturis meam quoque adiungerem, doctiorumque examini submitterem. *Locus* enim profecto *est*, vt Genebrardi verbis vtar, *de quo, tanquam de cruce pependerunt omnium ingenia.* Vide *Polum* et *Geierum* in Psalmos. Noua quaelibet explicatio, nouas quoque suas difficultates attulit, vt non nisi timido pede, ad talem locum accedendum sit, vbi mala vestigia terrent. Quoniam tamen locus quidam Misnicus,

cum *Illuſtri Michaelis* ante aliquot annos a me communicatus, viro doctiſſimo non indignus viſus eſt, quem ſuo Epimetro ad Lowthum inſereret, quique ad vocem שפתים explicandam faciebat praecipue, noſtram coniecturam, hoc loco retinere nequimus, ne faciliora loca prolixe tractaſſe, difficiliora autem caute euitaſſe videamur. Egregia ſane eſt explicatio, quam vir illuſtris de hoc loco protulit in Epimetro ad Lowthum p. 551. ſqq. eiusque cum Muſis commercii teſtis eſt valde praeclarus. Tamen mihi valde inconueniens videtur otii paſtoralis imago, huic carmini adaptata, quae Idyllio quidem conuenit, a tanto vero Epinicio, quod nil niſi bella et victorias ſpirat, longe aliena: nec pro pulcritudine ſua continuatur, nec cum totius carminis nexu coniungitur. Neque cum lenitate imaginis huius, neque cum ſublimitate poematis conſpirare videtur iſta adiurandi formula: *Ita vos feriat Deus, ſi hoc vel illud feceritis, ſi cubueritis inter greges deſides!* Aliorum explicationes hic recenſere inutile eſſe arbitror. Quodſi vero in hoc genere coniecturae locus eſt, malim certe שפתים *de immunditie*, et *ſterquiliniis*, quam de qua-

uis

uis alia re intelligere, quae Chaldaei interpretatio est בני קלקלתא *inter sterquilinia.* שפת nempe idem esse cum אשפות nullus dubito, cum absque א occurrat Nehem. 3, 13. quod per crasin Grammatici vulgo explicant, et in MSC. XVIII. XXXII. Bibl. Reg. et XXXI. Bibl. Sorbonae illud ו non compareat. Sed magis confirmat hanc opinionem *Lexicon Manuscriptum Syro-Arabicum* cuiusdam *Iesu Bar Ali*, quod in Bibl. Regia conseruatur, vbi ܩܠܝܠ per سفا *vile, nullius pretii,* et ܒܝܬ ܩܠܘܬܐ per سفات *locus foetidus, impurus, cisterna,* translatum est. Vocem autem arabicam cum ebraica valde conspirare, nisi si haec omnino ex illa originem suam habeat, perspicuum est. Oppositio praeterea membrorum huius commatis clarissima est, vbi victos reges in carcerum stercoribus iacientes fingit, cum feminae interea Israelitarum eorum spoliis et auro ornatae, liberae incedant. Quod ad sequentia verba כנפי יונה, praecedentibus multo obscuriora esse videntur: et licet superiorem particulam בין *inter* repetas, nihilo tamen expeditior sensus inde efficitur. Quidsi legeres היא כנפי יונה? vt

nempe prius huius commatis hemistichium ad מלכיבו, posterius autem ad מת בית praecedentis versiculi referatur. Certe ex his non solum commodus, sed elegans, et toti carminis nexui valde consentaneus sensus prodiret. *Houbigantius* ad hunc locum ita differit: *Nos illud*, eritis sicut, *quod ad sententiam necessarium est, et quod tamen suppleri nefas, tanquam manu duxit, vt re diligentius tractata et considerata tandem intelligeremus*, תהיתם eritis, *latere in mendo* שפתים, *et legendum esse* שפים היתם, colles eritis, *quoniam*, colles, *in sententiam magnifice quadrat: vtque erueremus* sicut, *ex verbo* כנפי, *ita vt* כ *fit* sicut *similitudinis, deinde* נופי librationes, *ex radice* נוף agitare, librare, *quod verbum saepe venit in victimis, antequam adoleantur, per aerem agitatis, et huc illuc agitatis. Sententia talis est, si quando Israelitae per desertum iter habentes, deuictis et profligatis aequo campo regibus colles adscenderent, vt in iis castra ponerent, tum eorum exercitum edito loco agmina sua mouentem et replicata vexilla ventilantem prospectum exhibuisse vicinis campis columbae per aethera librantis sese, et flauitiem auri pennis suis, corpore albedinem niueam, quaquauersum librantis*

tis et emittentis. Nos equidem hic mirum ingenii acumen, at ne minimam quidem veritatis speciem deprehendimus. Tamen, quidquid studeamus, semper acroceraunia saxa haec verba erunt futuris quoque criticis.

v. 15.

Huius quoque commatis verba haud omni carent obscuritate; tamen insignis inde elucet poeseos pulcritudo et sublimitas. Deum nempe poeta fingit hostes profligantem et in ipsa fuga dum obscurissima latibula petunt, prosequentem. Ita apud *Silium Italicum* Lib. 15, v. 470. sqq.

At non dubtori lybico par ardor in armis
Frondosi collis latebras et saxa capessit
Auia, nec caedes extremaue damna mouebant
Agminis, Italiam profugus spectabat et Alpes
Praemia magna fugae. Tacitum dat tessera signum
Dimissa in colles pugna siluasque ferantur

Dispersi

Dispersi et summam quicunque euaserit arcem
Pyrenes culmenque petat. — et v. 488.
Impiger occultis Poenus — — abditur umbris
Saxosae fidens siluae. —

Ita quoque Dauides in hoc carmine dissipatum fingit et obscurissimas latebras quaerentem exercitum: Sed irrita sunt eorum conamina. Nox enim, densissimae tenebrae, et vmbrosae siluae lucescentes, a facie omnipotentis, hostes profugos abscondere nequeunt — *Nemora auia fallent, et — promissis frustrabere vanis.* Vidit ex parte hanc imaginem *Lutherus*, dum ita interpretatur: *wenn der Herr Könige unter ihnen setzet, so wird es helle, wo es dunkel ist.* *Grotium* hic locus mire agitauit, qui particulam בה omittendo et multa circumscribendo, vix denique, et admodum difficilem sensum extrudit. *Sic ex hebraeo*, inquit, *sensus fit commodior*: *vbi* discreuerit omnipotens reges, *vt Sihonem et Ogum*, tum niueus eris, *nitebis pulcre, o, populo Israel*, in Salmon, monte Dei, i. e. *excelsissimo*, et in monte Basan, i. e. *cis et vltra Ior-*

Iordanem late regnabis, tenebisque loca opima. גבינה *caseus. Iob. 10, 10. Montana Basanis pascuis plena.* Mutat hic absque omni auctoritate tertiam personam foem. in secundam, et superfluam et valde incommodam ἀποσροφὴν adfert, vt ridiculam terrae opimae descriptionem praetermittam, a caseis repetitam. Syri interpretis translatio, ob duplicem vocis פרש significationem, *constituit in munere, distinxit dissipauit*, valde dubia est. Diuersae lectiones in MSS. arabicis, vbi alii habent فرز alii أنتحى ad veram significationem, quae separationem et dispersionem innuit, proxime accedunt: LXX διαχέλλειν. Vocem ebraicam פרש cum فرث contulit in *Epistola ad Menkenium p. 112.* vnde elegans effusi et late diffusi fugientis exercitus, imago efficitur. Neque tamen cum فرس commode conferri nequit, quod vim huius radicis, et imaginis poeticae auget pulcritudinem, metaphora nimirum *a Leone* desumta, qui vnguibus suis praedam dilacerat, comminuit, dissipat. Qualis est Diomedes apud Homerum Iliad. ε, 136. sqq. Vna adhuc residet dif-

fi-

ficultas, particulae nimirum בה, quae totum commatis sensum impeditum et obscurum reddit. Et hic mihi quidem videtur siue illud בה in בהם, vel בם mutandum esse, vt sensus sit: *Cum altissimus reges inter se diffunderet;* siue referendum ad superius נחלה, desertum nempe Arabiae, vbi ab Abrahamidis, reges Phoenicum profligatos esse, historiae sacrae memoriae prodiderunt. *Illustri Michaelis* pro צלמן legendum videtur ציון, vt בה, *in ea* ad montem Zionem referatur. Verum cum nomina montium masculini generis sint apud Ebraeos, בָּהּ autem feminini generis suffixum, valde dubito, quin huic emendationi locus esse possit.

„*tenebrae lucescebant.* צלמן retinent LXX. Arabs, Vulgata, Symmachus et D. Hieronymus. In vetustioribus autem codicibus צלמות apparuisse, Chaldaeus indicat, qui משולא ומותא *vmbra mortis* interpretatus est, quam lectionem etiam a R. Salomone Ben Melech comprobatam video. צַלְמָוֶת autem *vmbras* significare, arabismus demonstrat, vbi est ظلم *obscurus fuit, obum-*

umbrauit, vnde ظلمة *obscuritas*, *tenebrae*. Sur. 2, 18. Hinc etiam verbi שלג origo petenda est. ثلج nempe est *ningere*, inde communi metaphora, quae graecis quoque familiaris est, de *luce* et *splendore* vsurpatur. Quam versionem etiam Arabs et R. Salomo Ben Melech confirmat, quorum ille استنارت *luxerit*, hic התלבן *albescit*, interpretatus est. Quo tertia persona fem. תִּשְׁלַג referenda sit valde sollicitat *Clericum*. Quodsi apostrophicae dictioni locus esse possit, secunda persona in Hiphil, elegantem sensum efficeret. Si vna punctorum permutatio difficultatem solueret, tertia Fut. Foem. in Niphal, תִּשָּׁלֵג, commodiorem certe lectionem efficeret, *luxerit*, *sc. desertum in tenebris*. Nisi si forte vniuersa lectio muntanda sit, et legendum: בפרש שדי מלכים נִשְׁלְגוּ בְּצַלְמוֹת. *Cum altissimus reges funderet, etiam in tenebris illustrati eiusque faciei detecti sunt.* Illud nempe בוֹ olim quoque abfuit a Graecis codicibus, et demum ab *Origene* restitutum est ex *Theodotione*, abest quoque a versione Arabica in MSC. 13. Bibl. Reg.

v. 16.

Nescio, profecto, quid hunc versiculum a praecedenti Carminis parte diuellat: neque, quoniam abruptus est, scriptura simul laborat, cum in lyricis plura sint abrupta. Tamen omnia cum praecedentibus et sequentibus egregie cohaerent, nec quicquam deest, praeter connexam victoriarum enarrationem, postulandam quidem ab historico, non autem a poeta, et eo inprimis qui summum lyricae poeseos cacumen ascendit, et concitatus fertur diuino enthusiasmo plenus. Descriptis autem cladibus hostium, ipsos quasi montes inter se contendere fingit, quisnam ex iis Victorem Iehouam excipiat, et transgressione quadam ad ipsum montem Zionem, velut alterum Dei sanctuarium transit.

„*Mons Dei.* Altiores montes et πελώζυγοι, qui giganteum caput cum superbia efferunt, *Montes Dei* vocantur ab Ebraeis, vti omnia in genere ea opera, quae praestantia sua Deum fere auctorem indicant. Ita *Kimchius ad Ionam* hanc loquendi rationem explicat: כל דבר שרצה לגדולו סמוך לו לאל ודך הגדולה כמו הרוי אל ארזי אל שלהבתיה מאדירה: . *Omnibus rebus, quas*

quas scriptor augere cupit, nomen Dei adiungi solet, ad augendam verbi significationem, ita montes Dei, abietes Dei, flamma Dei, caligo Dei. Quomodo etiam graeci, quidquid magnum siue eximium est, δῖον vocare solent. Iliad. α΄, 141. ἅλα δῖαν, i. e. μεγάλην, θαυμαστὴν, Iliad. β΄, 615. Ἤλιδα δῖαν, θαυμαστήν, μεγάλην, vti *Didymus* explicauit, ad h. l.

„*Mons Basaniticus.* Omnes veteres vocem בשן pro adiectiuo habuerunt, quod *pinguis*, πῖον interpretati sunt; LXX, Chaldaeus, Syrus, Symmachus, Hieronymus, Vulgata et Arabs; forte quoniam بسن arabibus de *pinguedine* vsurpatur. Hanc significationem ignorans, *Houbigantius* sua auctoritate רשן legendum putat. At semper impeditus sensus erit, nisi si montem nominaris, de quo sermo est.

„*Mons niualis.* Montem Basaniticum, quem supra montem Dei vocauerat, in hoc hemistichio talem fingit, qui multis praecipitiis superbum caput ad aethera erigit. ὄρος τετυρωμένον, idem est, quod *Aeschylus* ὑψηλοκρήμνον vocat. Radicem vocis ebraicae habet lingua arabica, vbi اجبن

est, *compressit lac*, vt caseus inde fiat. *Grotio* hinc sunt הרים גבנונים *montes pleni caseo.* Dubito, quin serio dixerit vir doctus, nunquam enim eiusmodi montes vidi, neque ita vberrimas regiones vocare solemus. اجبلة *regionem* dicunt arabes, *petris et collibus abundantem*, quasi *gibbosam* et coagulatam. Montes quoque *gibbosos* vocare solent arabes. Ita Surat. 21, 96. licet alia voce: من كل حدب ينسلون *ab omni gibboso monte properabunt.* Ita quoque Homerus *Eteonum* vocat Iliad. β', 497:

— — πολύκνημόν τ' Ἐτεωνόν.

Vbi *Didymus* ita differit: πολλοὺς ἔχουσαν κνημούς. Κνημοὶ δὲ μεταφορικῶς ὑπὸ τῶν ἀνθρωπίνων κνημῶν. λέγονται δὲ αἱ ὀρῶν προβάσεις. καὶ γὰρ αὐταὶ ὅσον ἀπὸ κεφαλῆς πρὸ τῶν βάσεων εἰσὶν, ὅ ἐστι πρὸ τῶν ποδῶν. *Illustris Michaelis* valde poetice reddidit *montem niualem*, ob montis nimirum eximiam altitudinem, et perennes in eo niues. Sic Thetis apud Homerum Iliad. α', 420. Olympum vocat ἀγάννιφον; Iliad. ξ, 227.

Σε-

Σέυατ' ἐφ' ἱπποπόλων θρηκῶν ὄρεα νιφόεντα
Ἀκροτάτας κορυφὰς, οὐδὲ χθόνα μάρπτε ποδοῖιν.

Eundem autem montem, quem hic νιφόεντα vocat, Iliad. α', 499 alio ornat epitheto, quod vâlde ad hunc locum pertinet, vbi ita:

Εὗρεν δ' Εὐρύοπα Κρονίδην ἄτερ ἥμενον ἄλλων
Ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Ολύμποιο.

Eſt vero πολυδειρὰς nihil aliud quam quod Ebraeus poeta per הר גבנונים exprimit, *mons* nempe, *multis cacuminibus praeditus.* Quomodo etiam *Didymus* explicat πολυδειραδος· πολλὰς ἐξοχὰς ἔχοντος, πολυαυχένου. Adde *Ariſtophanis* Nubes, 269.

v. 17.

Ineſt huic loco pulcherrima προσωποποιία, quae montibus affectus humanos tribuit, Ebraeis valde ſolita, et ex Etymo vocis רצד omnino deriuanda. *Grotius* quoque hic προσωποποιίαν agnoſcit, at in verbis ponit, quae montibus nimirum tribuit: *in hoc*

monte vult Deus habitare et habitabit perpetuo. Verum nullum hic eſt interrogationis et reſponſionis veſtigium. Falſiſſima praeterea explicatio eſt vocis רצו ex collatione radicis רקד, de *affectu laetitiae*, qui in ſaltationem erumpit. *R. Nathan* contentos futuros putat lectores ſuos, vbi eis notauerit, eſſe τὸ רצו ex eorum verborum numero quae ἅπαξ λεγόμενα dicimus. Aliis placet *Chaldaei* interpretamentum טפז *exſiliit*, quod vtraque verba רקד et רצו coniungit, quos *Lutherus* ſecutus eſt: *Was hüpfet ihr groſsen Berge?* Monet quidem *Schultenſius* in animaduerſionibus philologicis, notionem *aſſiliendi* vocabulo وصد ineſſe, ex *Maruphidis* Lexico, vbi quidem de eo accipitur, qui *leonis ad inſtar ex inſidiis aſſilit.* At hic de *laetitia*, non autem de *inſidiis* ipſi ii cogitarunt, quibus τῷ רצו *exſiliendi* notionem ineſſe, viſum eſt. Veram ſignificationem *Aquila* et *Theodotion* aſſecuti ſunt, ἐρίζετε, quod de *contentione* ex inuidia intelligendum eſt. Ita *Pindarus Nem.* ϛ', 37. 38.

ἅπτεται δ' ἔσλων ἀεὶ
χειρὸνεσσι, δ' οὐκ ἐρίζει.

Vbi

Vbi *Scholiasta* ita disserit: Ἀπὸ τῶν φθονοῦντων, ἐπὶ τὸν φθόνον μετήγαγε τὸν λόγον. οὐ τῶν τυχόντων, φησὶν, ἅπτεται ὁ φθόνος, ἀλλὰ τῶν μειζόνων. Οὐδεὶς γὰρ Θερσίτη φθονεῖ ἀλλ' Ἀγαμέμνονι. χείροσιν οὖν οὐκ ἐρίζει. ὁ γὰρ φθόνος ἐις καλὰ βάινει. *Symmachus* transtulit σπουδάζειν; bene quidem; at superius ἐρίζειν magis cum Ebraeo conuenit. Apud Arabes τὸ رصد de *oculis* et *obseruatione* ad *inuidiam* transfertur, et fere ex amussi respondet τῷ βασκάνειν graecorum, quod de *oculis* et *inuidia* in vsu est. Vt apud *Virgilium* Ecloga III.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Adde Schultensii Obseruationes philologicas, p. 329. seqq. *Arias* quoque transtulit: *Quare inuidetis monti huic?* Hoc obseruatum egregie confirmatur verbis *R. Salomonis Ben Melech*, qui in Michlal Iophi, ad hunc locum ita disserit: גאון ז"ל מפורש לשון עיון ותוחלת כאלו אמר מה אתם מעונים ומיחלים לכן והוא קרוב ללשון הערב שקורין לעין הרכר אל"רצר: i.e. *R. Hee Gaon de aspectu et exspectatione interpretatus, quasi di-*

diceres: quid vos adſpicitis et praeſtolamini? Atque in hoc accedit vocabulum ad linguam arabicam, vbi oculus inuidioſus Elrazad dicitur. De voce עין vide 2 Sam. 18, 9. vbi LXX bene tranſtulerunt per ὑποβλέπειν.

„*Cupit Deus habitare eum.* Ita Pſ. 132, 13, vbi quoque de eodem Monte Zion: בחר יהוה בציון אוה למושב לו. *Elegit Iehoua montem Zionem, cupit eum inhabitare.* i. e. cupit ſibi in monte Zione templum eſſe et aras. Dicebantur autem dii ea loca habere, vbi templa et ſacra eis conſtituta erant. Vide Iliad. γ′, 320. ibique Didymi ſcholium.

v. 18.

Triumphum Iehouae deſcripturus poeta, a curruum et equorum multitudine incipit. *Clericus* ſub רכב *angelos* intelligendos putat; quae non inepta ſententia eſt, ſiquidem ipſi *Cherubim*, altinonantis volucres et tonantes equi ſunt, et arabibus quoque itineris comites ركاب vocantur. Vnde ſane valde ſublimis efficitur imago triumphantis

tis Dei, qui innumerabili angelorum comitatu Zionem petit. Tamen neque ineptum videtur, sub רכב omnem apparatum triumphi, currus, equosque et comites intelligere, quae omnia ἅρματα etiam graeci vocare solent. Iouis apparatus in triumphis Romanorum notissimus est eruditis.

„*Sinai est in splendore.* Haec verba סיני בקדש totam fere huius carminis oeconomiam perturbant, et omnem sensum euertunt, cum hic de monte Sinai iterum est mentio, vbi necessario de monte Zione erat cogitandum. Neque illud לנצח praecedentis commatis ad montem Sinai, sed tantum ad Zionem referri potest. Nolumus in tanto omnium interpretum consensu, de scripturae emendatione cogitare, vbi nostram potius ignorantiam accusare debemus: alioquin vnica mutatio vocis סיני in ציון omnia impedimenta solueret. Tamen arbitramur elliptice quoque haec explicari posse cum *Aria*: כבסיני בקדש, *vt in monte Sinai sancto.* Videntur mihi quoque omni omissa ellipsi haec verba, quae pro carminis sublimitate summa breuitate expressa sunt, ita intelligi posse: *Sinai est in splendo-*

re: i. e. Montem Zionis tanta illuſtrat Dei maieſtas, vt montem Sinai mihi videar videre, in ſplendore Iehouae, cum eum occuparet, myriadibus angelorum comitantibus, leges laturus Iſraelitis.

v. 19.

Optimorum ingeniorum ſcopuli iure verba huius commatis vocari poſſunt, ob Pauli inprimis citatum, quod nemo aggredi audebat. Duo diuerſa MSta fuiſſe clariſſimum eſt: alterutra autem lectio falſa eſſe omnino debet, niſi, vt theologorum more loquamur, quam ſemel probauerit Spiritus ſanctus, eam poſtea reieciſſe velis exiſtimare: quaenam autem vera lectio ſit, ipſe contextus, et librorum antiquorum conſenſus demonſtrabit. Nemo, qui carminis nexum aliquantulum perſpicit, de triumpho ſermonem eſſe, negare poterit, quod etiam ab iis conceſſum eſt, qui de Aſcenſione Chriſti ad ſuperos hunc verſiculum explicarunt, cum vniuerſus Pſalmus res bellicas, victorias et triumphos contineat. Ipſe Iehoua victor eſt, qui tot debellatis et fugatis hoſtibus, currum triumphalem conſcendit,

Man-

Mansuri compos decoris per saecula rector
Deuictae referens primus cognomina terrae
Securus sceptri repetit
Zionem et — *inuehitur sublimi — triumpho.*

Quod hic, ad verba עלית למרום, *Clericus* Tribunal intelligit, ex quo Syros damnauerit Deus, Ebraeisque caedendos tribuerit: Verum est, orientalium cogitandi genus cum hoc explicandi genere valde conspirare, qui bellum pro lite habent, cuius ipse Deus iudex est, vti Iliad. δ', 84.

Ζεὺς — ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.

cum quo loco conferendus est Virgil. Aen. XII 725. et Homer. Iliad. ϑ', 69.

Ita quoque explicatum video hunc locum a *Grotio: Ascendisti in altum* inquit, i. e. *a Sinai in coelum, vt solent reges iudicia exercituri tribunal conscendere. Vide Matth, 27, 19.* Tamen non ipse iudex captiuas abducit cateruas, sed victor, cuius caussa iusta a iudice victoria comprobata est. Quare de triumphali pompa et curru triumphali, quem Iehoua adscenderit, hunc locum intelli-

gendum esse, ipse verborum nexus suadet. Et hic sub imagine elegantissima oculis nostris triumphatorem sistit poeta, *quum proemia belli*,

Ante suos currus oppida victa,
Ipse gerens lauros, lauro deuinctus agresti
Miles, Io, magna voce, triumphe canit.

triumphalem currum captiuae trahunt cateruae, captiui sequuntur, qualem nobis *Scipionis* triumphum *Silius Italicus* describit, Lib. XII. 634.

Ante Syphax feretro residens captiua premebat
Lumina, et auratae seruabant colla catenae.

et *Horatius* vbi de Sicambris triumphum canit, et

Caesarem quandoque trahet feroces
Per sacrum cliuum merita decorus
Fronde Sicambros.

שבי non est *carcer*, seu *captiuitas*, vti *Lutherus* transtulit, *Gefängniss*, sed captiua caterua, Arabibus سبي qua significatione saepe occurrit in *vita Salahdini* et Corano. Adde Num. 31, 21. Iudic. 5, 12.

„ac-

„*accepisti numera ab hominibus. Diuus Paullus*, qui hunc locum tanquam testimonium de Ascensione Christi ad superos excitat in *Epistola ad Ephesios*, *4. 8. 9. 10.* quae vulgaris interpretum nostrorum opinio est, longe diuersam lectionem adfert, quae ebraice haec est: חלקת מתנית לארם. *Distribuisti dona hominibus*, i. e. aurea spolia, quibus oneratus rediisti ex bello, iis qui tecum militarunt, et larga munera, tuo imperio subditis distribuisti, vt gloriosissimum simul te praeberes et gratiosissimum victorem. Hanc lectionem confirmat *Syrus*: ܘܝܗܒܬ ܡܘܗܒܬܐ ܠܒܢܝܢܫܐ *et dedisti dona hominibus*, et *Chaldaeus:* ויהבת יתהין מתנן לבנינשא *et dedisti ea* (legis verba) *donum hominibus:* quos tamen ex Ebraeo interpretatos, nec auctoritatem τῶν LXX. secutos esse, certum est. *Arabs* quoque hanc lectionem expressit واعطي للناس مواهب *et largitus es dona hominibus*, de quo, licet a lectione τῶν LXX. h. l. recedat, quos alioquin presso pede sequi solet, haud certe constitui potest, vtrum graeci cuiusdam codicis lectionem, an veritatem ebraicam expresserit, an omnino lectio

ctio Codicum arabicorum ex auctoritate D. Paulli correcta fuerit? quod alio tempore demonstrabimus. Praecipuus omnino testis est Chaldaeus, qui purus putus Iudaeus, vtique masorethicam lectionem expressisset, si ita in MSS. suis scriptum inuenisset. Verbum חדק commodissimum sensum parit, ea nimirum notione, qua supra v. 13 occurrit *de praedae diuisione*, de qua etiam hic cogitare minime est incongruum, vbi de victoriis et triumphis sermo est. Ita *Ouidius Lib. II. Eleg. de Ponto 1.*

Atque ita victorem cum magno vocis clamore
Bellica laudatis bona dedisse viris:
Claraque sumturum pictas insignia vestes
Thura prius sanctis imposuisse viris.

Tantaque est huius lectionis pulcritudo, tantaque facilitas, vt eam lubenter acciperem, nisi et Masorethicam lectionem bene explicari posse viderem, eosque offendere timerem, qui quidquid sanctum et inuiolabile arbitrantur, quod Ebraeis literis expressum est. Dona sunt orientalibus pro Sacramento inaugurationis nouo regi praestan-

stando, quod cum ex aliis scriptoribus, tum praecipue clarissime patet ex Ps. 29. vbi illud הבו ליהוה de Deo explicandum est, ad quem aliorum Deorum cultores accedere iubentur, dona in manibus tonanti Deo offerentes, testificaturi simul, se Iehouam pro vero atque vnico rege habere.

Grotius ad hunc locum ita disserit: *Propter homines accepisti dona ad vsum sacerdotum et Leuitarum. Putet forte aliquis, pro* לקחת *scriptum fuisse* חלקת *quod pro* dare *sumi solet, vt Deuter. 4, 19. Iob. 39, 17. et inde esse* ἔδωκε, *quo vtitur Paulus* μυστικῶς *ad Christum referens, Eph. 4, 8. quomodo et Iustinus hunc locum citat; idemque sequitur Psalterium Rom. h. l, et Hilarius, item Arabs et Aethiops: sed alii secunda, alii tertia persona, ex Paullo. Sed sciendum est*, accipi, *recte dici, quae in hoc accipientur, vt* dentur, *vt videre est Exod. 25, 2. 1 Reg. 17, 20.* Posterior Grotii explicatio, proxime accedit ad eam, quam supra in varietate lectionis ex Scholiasta Vaticani codicis adduximus. Cetera nihil probant, neque capio, quomodo h. l. de donis ad vsum Leuitarum et sacerdotum sermo esse possit. Potius בארם τὸ est *pro hominibus* ex oppositione captiuorum. Gen.

23,

23, 9. vel *ab hominibus* 2 Reg. 14, 13. quo ſenſus omnino fluidior et facilior efficitur, *dona accepiſti a victis gentibus in teſtimonium ſubmiſſionis.*

„*etiam Rebelles.* Praefixum ו ante אף omiſſum eſt in MS. II. Syr. Bibl. Reg. סוררים ſunt *inquieti, turbati, rebelles*, a סָרַר *malus fuit.* Vide *Schultenſii* Notas *ad Excerpta Iſpahanenſis p. 22, 23.* et *ad Haririi Conſeſſum p. 157.* Quae mox ſequuntur לשכן יה אלהים etiam ſuis difficultatibus impedita ſunt. A Graecis diſcedunt Arabs et Syrus; tamen nec eorum, nec graecorum explicatio, dura nimis et intricata, mihi arridet. Potius mihi probatur *Chaldaeus*, qui multus eſt in explicatione ſua, et primus, qui de alia vocis שכן ſignificatione cogitauit. Reddit nempe שכח, *quieuit*, quod ab hebraei vocabuli שכן ſignificatione non alienum eſt. سكن enim eſt *quieſcere* apud Arabes, inde *habitare.* Vide Illuſtris Michaelis Collegium Criticum p. 183. coll. Golii Lexico Arab. p. 1192. Senſus inde eſt: *Etiam rebelles accepiſti ab eis, ne noua moliantur, ſed acquieſcant.* Tamen, ni fallor

lor languet in fine versiculus, praesertim ob voces in fine additas, יה אלהים, quae a graeca τῶν LXX versione absunt.

Quaenam autem lectio verissima sit, satis confirmare vix ausim, cum vtraque, quae vel a Paullo excitata, vel in nostris Codicibus Masorethicis scripta est, elegantissimum sensum efficiat. Miror autem, qui tot tantique viri locum Paulli, et ibi citatum huius Psalmi comma, tanquam vaticinium de Christi in coelum adscensione, interpretari potuerint: cum potius de donis diuinitus concessis hominibus sermo sit. Et ob variam diuersamque eorum donorum distributionem hic locus a Paullo excitatur. Ne autem vel minima obscuritas resideat lectoribus, vbi audierint Dauidem praedicantem, Deum coelum adscendisse, indeque dona praebuisse hominibus, ad Christi adscensionem hunc versiculum applicat, neque materiam continuat, potius ad diuersa dona hominibus data redit. Quo obseruato omnis difficultas facile remoueri potest.

v. 20.

„*sustinet nos.* Verbum עמס de *oneris impositione ad baiulandum* vulgo in vsu est, et ita quoque a *Chaldaeo* et aliis ad hunc locum translatum video. Recte quidem si להם adesset, vt de captiuis rebellibus accipiatur, vti est apud *Silium Italicum* Lib. XVII.

— *euersam iam pridem exscindere Troiam*
Atque aequasse solo potui traducere captam,
Seruitum gentem Latioque imponere leges.

Tamen maxima pars veterum aduersatur, a quibus de fortuna explicatur, vt eadem huius vocis ratio esse videatur, quae aliarum est, quibus simul cum oneris significatione etiam honoris nomenclatura adiuncta est, vti כבד, ثَقُلَ شرف. Hanc significationem egregie confirmat *Aquilas*, qui Zachar. 12, 3. vocem עמס per βαρᾶζειν transtulit.

v. 21.

Deus ad victorias. Qualem Iehouam superius cecinerat ducem et belli πρύτανιν, eidem etiam hic victoriam tribuit, et salutis

pote-

potestatem. Quod de Feretrio quoque *Plutarchus* praedicat *in Marcello* his verbis: Ω μεγάλα ἡγεμόνων ἔργα καὶ στρατηγῶν πράξεις περιβλέπων ἐν πολέμῳ καὶ μάχαις Φερέτριε Ζεῦ μαρτύρομαί σε. Arabes, aliique orientis populi, victoriam sibi interdum vti portam fingere solent, quae iis aperitur, qui ex proelio discedunt superiores. Hinc فَتْح illis est *aperitio portae* et *victoria*. Vide Suratam Corani 48. quae الفتح inscripta est. Eodem sensu *victoria* תשועה dicitur, a وَسَعَ *patuit*. Cfr. Ies. 19, 20. Obad. v. 21. vbi תשועה *de victoria* vsurpatur. Quam sententiam magnopere confirmat alterum hemistichium, vbi *exitus mortis*, victoriae vocantur, למות תוצאות. *Chaldaeus* et *Clericus* neque veritatem assecuti sunt, neque poeticam senserunt imaginem, dum de exitu ex hac vita, למות תוצאות explicarunt. Non solum est in Iehouae potestate, inquit, victoria; sed ex inferorum sede reducere, et perpetua nocte tectas orci vias expedire potest. Vulgaris arabica versio, ربّان الموت *Dominus mortis* habet, et Codicis 13. Biblioth. Regiae,

vbi للرب مخارج الموت *Domino sunt exitus mortis*, expressum est, hunc sensum confirmat. Alias a cisternis subterraneis mortis imaginem mutuantur orientales, vti *Caab Zohairides v. 59.*

وما لهم عن حياض الموت تهليل

Neque erit eis a cisternis mortis effugium.

De laqueis et venatorum insidiis vide 2 Sam. 22, 5. Ps. 18, 5.

v. 22.

„*conteret caput inimicorum.* מחץ bis in hoc carmine occurrit, diuersa prorsus significatione. Hic omnino est *quatere, concutere, frangere.* Arab. محض vide Num. 24, 8. vbi ex membrorum parallelismo τῷ גרם accurate respondet. Num. 24, 17. ומחץ per θραύσει translatum est, quod de tempore omnia confringente occurrit apud Pindarum Olymp. 5', 164.

θραύσοι χρόνος ἅλβον ἐφέρπον.

Huc omnino pertinet sublimis iste locus apud Habac. 3, 13.

יצאת לישע עמך
לישע את משיחך
מחצת ראש מבית רשע
ערות יסוד עד צואר:

Exiisti ad liberandum populum tuum,
Ad liberandum unctum tuum,
Fregisti caput e domo iniustorum
Nudasti fundamentum vsque ad collum.

Difficultates huius loci, quae ex sola veterum collatione cognosci possunt, nobis in praesentia soluendas non sumimus, tanquam a re nostra alienas; animadvertimus tantum, graecos interpretes vocem יחת per βαλεῖν expressisse, et conuenienter satis pro διαφθείρειν, quam significationem hoc verbum admittit apud *Pindarum Olymp.* ά. siquidem *Scholiastae* habenda fides est:

— καρτερὸν — λίθον
τὸν ἀεὶ μενοινῶν κεφαλὰς βαλεῖν.

Scholiasta: ἔιτα τοῦτο μενοινῶν καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν ἔχων, ὡς ἐπιπεσὼν ὁ λίθος διαφθερεῖ αὐτόν.

„*verticem capitis.* Pro vulgari هام الرؤوس in MS. 13. Arab. Bibl. Reg. legitur هامة شعر quod magis cum textu ebraico conspirat. קרקר autem a *crinium diuisione* dictum esse cum radix Arab. قَدَّ *diuisit*, tum *R. Salomo Ben Melech* probat, qui ita differit: בקרקר יחלק שער הראש חציו לימין וחציו לשמאול ופירושו ימחץ קרקר מי שהוא מקתלך באשמיו וברשעו ולא ישוב בו: *In vertice diuiditur pilus capitis, pars dextram versus, pars vero versus sinistram. Et explicatio est: conteret verticem proruentis in delictis et in malitia sua, neque inde ad eum reuertitur.*

„*ruentis ad perniciem in delictis suis.* Clericus hic Bedouinos in perpetuis latrociniis viuentes, intelligendos esse arbitratur. Mihi vniuersaliter dictum esse videtur, de Iehouae aduersariis, qui tanquam ad certam perniciem signati putantur: desunt nempe certa monumenta, vnde adeo praecisam significationem elicere possimus, neque credibile est, Clericum iis instructum fuisse.

אשם est *peccatum capitale*, a وَسَمَ *stigma* in-

inussit. Hinc Diuo Paullo eiusmodi peccata *conscientiae stigmata* vocantur, et eiusmodi peccatores apud orientales pro talibus habentur, quibus ipse Deus stigma inusserit, et signauerit ad certam poenam. Hinc *Muhamınedes* in Corano: *Impressit Deus cordibus eorum signum suum* طبع الله على قلوبهم *vt sequantur concupiscentias suas.* Adde Suram 51, 34. vbi *lapides ad perniciem signati* مسومة dicuntur. Aliam huius vocis deriuationem videsis apud *Schultensium ad Confessum Haririi, p. 92.*

v. 23.

Versiculus iste ob historiae ignorantiam valde obscurus est. Ad captiuorum reductionem poetam respicere certum est; gentes autem, apud quas in vinculis delitescant Iudaei, non nominat poeta, vicinos potius indigitat ab vtroque latere Palaestinam cingentes, cum mons basaniticus et mare vltimos Iudaeae terminos constituunt. Multa profecto Israelitarum exilia ignoramus, quorum passim in Psalmis Dauidicis mentio occurrit, quod alio loco demonstrabimus.

v. 24.

Intricata eſt vera huius commatis lectio. Alios tota verborum conſtructio offendit, aliis vnicum tantum illud מנהו durum et impedimentum viſum eſt. Licet vniuerſa conſtructio valde diſiecta ſit et praecipuae illud מנהו, quod vulgo *ex ipſis*, vel *ex ipſo*, interpretantur; nullos tamen ex vniuerſo veterum numero aliter legiſſe video, ſi *Symmachum* excipimus, a quo מנהו prorſus omiſſum et מאיבים in מאיביך mutatum eſt. Arabica MSS. differunt; in aliis nempe accurate τῶν LXX lectio expreſſa eſt: alii autem *Symmachum* ſequuntur, dum איביך habent, omiſſo prorſus מנהו; alii autem poſt vocem איביך, hanc voculam adiiciunt. *Symmachus* interſerit vocem ילקק, λάψῃ, quod etiam forte *Chaldaeus* ſubaudiendum putauit et *R. Salomo Ben Melech* cui illud מנהו ad ברם referendum eſſe videtur. Hinc *Houbigantius* vniuerſum comma ita corrigendum arbitratur: ברם איביך ולשון כלביך תלקק מנהו. At hanc coniecturam, quae audaciſſima eſt, omniaque verba inuertit, nemo veterum comprobat. Si quid vero mutandum, vnica adiecta literula, facil-

cillimum sensum commati restitutum iri existimo, et legendum:

למען תמחץ רגלך בדם
ללשון כלביך מאויביך מֶנֶּהוּ׃

Vt tingas pedem tuum in sanguine,
Vt linguae canum tuorum ex inimicis tuis
portio sua sit.

Ita quoque מנהו Arabs interpres MSC. 13. Biblioth. Regiae intellexit, qui قِبلَه *partem, copiam suam* transtulit. — Pingit hic poeta, ad internecionem deletos hostes: interfectorum cadaueribus obsitum campum: victorem sanguine pedem superbum rubentem, et ipsos canes occisorum sanguine tanquam eis destinata praedae parte sitim restinguentes. Qualis est cladis descriptio apud *Xenophontem in Agesilao*, et apud *Silium Italicum*, vbi punica sacerdos

— — late consternì milite campos,
Et lacus stagnantes sanguine cernit.

Quod ad vocem מחץ, lexicographi etiam hic *concutiendi* significationem valere arbitrantur, quomodo etiam *Symmachus:* tamen rectius reliqui omnes *tingere* explicarunt, quod arabismi auctoritate probatur vbi مخض est *tingere*, vt tota videamus sanguinis stagna et *amnem*,

strage virûm vndantem, et torrentes sanguine campos

quibus victor pedem immergit. Quomodo etiam a *R. Salomo Ben Melech* explicatum est in *Michlal Iophi.*

v. 25.

„*gressus tuos.* *Clerico* sunt הליכות *rationes*, *quibus se gerit Deus:* sed contra etymologiam et nexum carminis. Has enim rationes Dei, דרך, משפט Ebraei vocare solent. הליכות autem sunt *bellicae expeditiones*, *πορείαι*, vti accurate satis LXX transtulerunt, cum reliquis graecis in Hexaplis Origenianis, quo sensu occurrit apud *Herodianum*, 3, 6. et apud *Xenophontem* in Agesilao 1, 16. *Reu. Rueckersfeldero* videntur הליכות *operationes Dei esse*, *quibus hostes suos op-*

oppugnat et vincit (vide Syllogen V. R. Obseruatt. p. 191); recte quidem, tamen non puto ex arcae foederis deductione Ebraeos imaginem petiisse, quam ex ipsa potius rei natura et orientalium loquendi genere, qui a *via* belli quoque nomenclaturam inuenerunt, vnde ipsam *belli expeditionem* الله سبيل *viam Dei* vocant. Quod ad verbum ראו, indefinite ponitur. Nolim: *videntur*, quod falsam praeterito tributam Praesentis significationem supponit.

„*Dei mei, regis mei.* In Graecis omissum est μου post βασιλέως. Ita quoque in Codicibus arabicis, vbi in aliis legitur الهي vt in MS. 13. Biblioth. Reg. in aliis vero الرب vt in versione *Gabrielis Sionitae*. Haec vero librariis versionum non textui et interpretibus ipsis tribuenda esse arbitror.

v. 25.

Describitur omnis triumphi pompa, cum ouantium choris, qui victorem Deum, montem Zionis ab hostibus nuper recuperatum, ascendentem comitantur. Fractis nempe Iebusitarum viribus, Iehoua, cuius

antiqua sedes mons Sionis fuerat, hic iterum sibi sanctuarium condit, vnde in omnes terrarum gentes dominetur. Sermo est hic de arcae foederis translatione, quae carmini condendo occasionem praebuerat. Idque versiculo 28. confirmatur, vbi imperans dicitur tribus Beniamin, quod temporibus Dauidis tantummodo tribui potest. Primi sunt *cantores:* non enim *principes* intelligendos esse puto, quomodo omnes fere veteres acceperunt, LXX, Syrus, Arabs. Melius autem cum decoro conuenit *Chaldaei* interpretatio: אקדימו ואמרו שירתא *praeuenerunt et dixerunt canticum.* Caeterum duplici ratione hic versiculus potest explicari: ita nimirum, vt chorus obuiam procedat Iehouae, ex consuetudine orientalium, vti est Iudic. 11, 34. vtique *Clerico* placet: posset vero chorus eorum quoque esse, qui Iouam vel arcam foederis, Zionem comitantur, in quo comitatu primi omnium sint cantores. Vtramque enim explicationem admittit verbum קדם, si ex fontibus linguae arabicae, vbi قدم est *obuiam procedere*, et *principem esse, primum numero*, deriuetur.

„*Vir-*

„*Virgines tympana pulsantes.* Ita virgines choro musico admiscet Pindarus Pyth. i, 57.

Μοῖσα δ' οὐκ ἀποδαμεῖ
τρόποις ἐπὶ σφετέροισι· παντᾷ δὲ χοροὶ παρθένων
λυρᾶν τε βοαὶ κανα χάιτ' αὐλῶν δονέονται.

Nostri autem Psalmi locum mores orientalium egregie illustrant, quorum exempla complura occurrunt in sacris litteris. Iudic. 11, 34. 1 Sam. 18, 6, 7. Iudaeos autem patrum suorum consuetudines et mores latent, qui עלמות de Sponsa Messiae explicarunt.

v. 27.

Quod in hoc commate dicitur ברכו אלהים, imperatiue a plerisque interpretibus intelligitur; tamen nullus locus est dictioni apostrophicae. Melius sane est, si ברכו pro tertia pluralis persona habueris, et ad praecedentia retuleris: *Laudarunt Deum in congregationibus.* Sed quid illud ממקור, quod proxime sequitur? quod, vti vul-

vulgo redditur, *Dominum ex fonte Israelis*, nullam omnino sensum efficit. Neque multo commodior est explicatio, si explicaueris: *Iehoua est fons Israelis*, licet elegantia imaginis non dubia est, quae Iouam quasi genitorem Israelitarum constituit, ex quo tanquam e scaturigine populi profluxerint. Certe illud מ in ממקור dubiae originis esse, et ex superiori voce אלהים repetitum videtur, quantum ex ipsius *Chaldaei* paraphrasi coniicio. Hinc seruata imagine isthac poetica hunc locum ita interpretari malim:

Laudarunt Deum in congregationibus,
Dominum fontem Israelis.

v. 28.

Hic vbi principes, Iouam comitantes, recenset, eleganter nomini Beniamin הצעיר adiungit ex oppositione Iehudae, qui princeps erat omnium filiorum Iacobi. Quam elegantiam non animaduertit *Clericus*, dum haec de exiguo Beniaminitarum numero, ad quem post stragem Iud. 20, 44. redacti erant, intelligenda esse arbitratur. Historia autem Dauidica clariorem lucem huic ver-

versiculo accendit, cum Beniaminitarum gens, minima ceteroquin natu ex omnibus Israelitarum tribubus, Dauidis temporibus longe potentissima, reliquis suis fratribus imperaret. Quod ad vocabulum רדם a graecis Ἐν ἐκστάσει translatum est, et graecus Psalmorum interpres omnino mihi ad Gen. 2, 21. et 15, 12. respexisse videtur, vbi תרדמה ab alexandrino per ἔκστασιν est explicatum. Cuius translationis origo non nisi in lingua coptica quaerenda est, vbi *sopor, grauisque somnus* τέκστασις vocatur, quod alio loco clarius demonstrabimus. Clariora autem hic sunt *Aquilae* verba, qui κρατῶν habet, cui et *Chaldaeus* assentitur, quantum ex paraphrastico dicendi genere cognosci potest: תמן בנימין זעיר בשיבטא שירו"י נחת לימא מטול היכנא קיבל מלכותא מן שירויא: *Hic est Beniamin minos in tribubus, ab initio descendit ad mare, quare etiam regnum accepit ab initio.* Caeterum pro רֹדֵם haud male legeretur רֹדָם quomodo et R. Salomoni Ben Melech visum est in Michlal Iophi.

„*In purpuratu.* Ebr. רגמתם. Quo recentiores sunt interpretes, eo magis a vera signi-

significatione alieni sunt. *Clericus* reddidit: *coetus eorum*; et in paraphrasi, *cum tribubus suis*. Ita quoque *R. Salomo Ben Melech*: פירוש קהלם או קבלם. *Explicatio vocis Rigmatham, est coetus eorum, seu congregatio eorum.* Hoc autem peruersum interpretandi genus ex collatione radicis רגם cum רכם *congessit, lapides collegit*, ortum est. *Houbigantii* artificium non nauci est aestimandum. *Pro* רגמתם inquit, *legimus* לעמתם *pro iis. Nam multis nominibus suspicionem est illud* רגמתם *et quidem primo, est* ἅπαξ λεγόμενον. *Secundo id significare principes, ex veteribus linguis non apparet. Tertio auget suspicionem terminatio feminini in* תם . . . . *vbi de viris sermo est. Denique cum apud Ebraeos multa verba sint, quae principem efferant, et cum de principibus saepe numero in sacro volumine dicatur, mirum est et prope singulare, huc tantum modo aduenire illud* רגמתם. *Sed librariis non semel accidit, vt* ר *pro* ל *ob figurae et* ג *pro* ע *ob soni similitudinem describerent, sic vt maxime sit credibile, ibi olim* לעמתם *scriptum fuisse perspicua sententia, vbi nos in hodiernis codicibus habemus* רגמתם *obscurissima.* Verum enim vero, si omnia scripturae loca, in quibus ἅπαξ λεγόμενα oc-

occurrunt, erroris sunt obnoxia, vbi quoque haud sufficienti linguarum notitia instructus criticus est, haud exiguus sane numerus mutandus est, praesertim in Ebraeis codicibus, quorum sane admodum minutam particulam possidemus. Et quare non mutamus רגש Ps. 2. מרגמה Prou. 26. לבנה Exod. 24. et alia loca quamplurima in quibus voces ἅπαξ λεγομέναι occurrunt? Terminationem feminini generis vrget? Et munerum et officiorum notiones feminini generis esse, et pro ipsis personis poni, ignorat, quae eiusmodi dignitatibus ornatae sunt? Sic מלכות *Regia dignitas*, pro מלך *Rege*, apud Syros et קהלת *sacerdotium*, pro *sacerdote*, apud Ebraeos in vsu est. Quidni igitur *principatus* pro *principe*? Cur vero Dauides, non alio vocabulo vsus sit, vti שר, vel רוזן, cum ipso Dauide litiget *Houbigantius;* fortassis, si Houbigantium aliquando carmina sua dilaceraturum sciuisset, in eligendis vocabulis studiosior fuisset: at verba pro lubitu eligere licet scriptoribus. Vetusti interpretes veram vocis רגמה significationem docent, iisque omnino obtemperandum esse iudico. LXX ἡγεμόνες αὐτῶν. Vul-

Vulgata: *duces eorum.* Arabs: *principes eorum;* omnium autem optimam ſignificationem dedit D. Hieronymus: *in purpura ſua,* quem recte cum ארגמן contuliſſe certum eſt. A רגם *lapides in tumulum collegit et coniecit,* tumulum et *cippum ſepulcralem* arabes ﻗﺒﺮ vocare conſueuerunt; quomodo autem hinc *purpuram* dixerint orientales, magna muricis tyrii et cippi ſepulcralis ſimilitudo docet; Ebraei inde cum Aleph proſthetico ארגמן *purpuram* et רגמה *purpuratum* dixerunt. Purpuratus vero pro ipſis iis ponitur, qui purpura induti ſunt, *principibus*, vel nobilibus. Adde Ill. *Michaelis* ad *Lowthum Tom. II. p. 628.*

v. 28.

In Graeca verſione legitur pro νεφθαλί, in MSS. 40 et 21 Bibl. Regiae νεφθαλείμ. Sed haec parui ſunt momenti.

v. 29.

Senſum huius verſiculi admodum intricatum eſſe, ab iis etiam facile perſpicietur, qui vel fugitiuo tantum oculo verſiculum praeſentem conſiderauerint. *Houbigantius,* qui vul-

vulgarem tantum verbi צוה significationem memoria tenet, quae *imperandi* vim habet, אוהי omisso ך suffixo et לעזך cum praefixo ל legendum esse coniicit. Nobis autem hac manu medica in praesentia haud opus esse videtur, siquidem צ ו ה est *constituere*, et cum Accusatiuo construitur, quod ex 2 Sam. 6, 21. certum esse arbitror. Quod ad vocabulum עז, arridet hoc loco significatio *gloriae* et *splendoris*, quam docet lingua arabica, vbi عز *gloria* est, et عزيز *eximius quoad potentiam* et *nominis gloriam*. Surata 2, 122. Huic autem commati, et ei simul, quod proxime sequitur, insignis inest pulcritudo, ex sola dictionis breuitate deriuanda. πλεῖον τὸ τῆς ἐπιμελείας, καὶ τοῦ καλλίους ἔχουσιν αἱ μικραὶ τῶν λεξεων καὶ δι' ὀλίγων συγκείμεναι συλλαβῶν, inquit *Hermogenes* in praestanti libro περὶ ἰδεῶν p. 354. omnia sunt concisa et abrupta, quae vera sunt iudicia animi a musis agitati. Modo enim gentem Israelitarum alloquitur, modo ad ipsum Iehouam orationem conuertit, modo ipse prophetico numine afflatus futura videt. *Constituit Deus potentiam tuam, gens Israel — adsis fortitudine tua,*

numine tuo Iehoua! — Ratum est! — feciſti nobis hoc ex ſanctuariis tuis ſuper Hieruſalem! — Video ſupplici manu reges tibi munera offerre.

Quod vero ad deſtinctionem huius verſiculi attinet, ſane non video, rem adeo intricatam et impeditam melius poſſe diſſolui, quam ſi Silluk poſt vocem מנו ſublatus, verſiculum terminet in voce אלהים, vt a particula ו verſiculus 30. incipiat. Siue poſito Rebhia in voce אלהים, vt ex duobus verſiculis vnum tantum comma conſtituatur. Quomodo enim hodie textus diſtinguitur, in tria omnino vitia incidendum eſt, vt ו pro relatiuo *quod* accipias, et praefixum מ, quod vero ſonat *ex*, vel *propter*, vel *in* interpreteris, niſi omnino decorum offendere velis, cum dona non *ex* templo ſed *in* templum ferri ſoleant. Significationem vocis היכל, quod attinet, ea ex arabiſmo probatur, vbi هَيْكَل eſt *palatium*: Poſſunt autem hic commode ſub *Palatiis* intelligi ſanctuaria, quorum in hoc carmine mentio facta eſt montes nimirum Zion et Sinai. Ex coniunctione autem vtriusque ver-

versiculi, 29 et 30. non solum sine omni impedimento facilis sensus efficitur, sed simul imago admodum poetica regis altissimo loco sedentis, qui maiestatis suae potentiam et splendorem omnibus gentibus sibi subiectis cognoscendum praebet, dum hostes euertit, regnum suum firmum stabilit, gentibus iura dat, et reges constituit, tanquam omnium supremus moderator. Qualem Iouem nobis pingit *Callimachus Hymno in Iouem*:

— — — Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
Θειότερον. τῷ καί σφι τέην ἐκείναο λάξιν.
Δῶρα δὲ πτολίεθρα φυλασσέμεν. ἴζεο δ' αὐτὸς
Ἄκρης ἐν πτολίεσσιν, ἐπόψιος ὁππόσα τε δίκησι
λαὸν ὑπὸ σκολιῆς, ὁππόσ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν.

„*munera tibi offerent.* Munera sunt apud orientales pars prouentus regii, tributique et subiectionis indicia, Lex inde apud Persas de muneribus regi offerendis. Vide *Aeliani Var. Hist. I, 31. 32. 33.* et *Paulsen von der Regierung der Morgenländer.* Munera

forte hoc loco et pacis expetitionem continent, quod cum nexu carminis mirifice consspirat. Virgil Aeneid. 7, 155.

Dona ferre viro pacemque exposcere Teucris.

v. 30.

Pertinet hic locus ad imagines ex rebus naturalibus petitas, quae apud orientales haud raro ita comparatae sunt, vt aurium Europaeorum assensum primo momento non habeant. Asperitas enim non nunquam his imaginibus inest cum tumore quodam coniuncta; nihil tamen impedit, quominus sublimis sit et grauis simul oratio. Ea autem interdum, quae sublimem reddunt orationem, asperitatem quaedam advehunt, quam non semper euitare poeta potest. Quod et *Hermogenes* affirmat Lib. 1. Cap 7. περὶ ἰδεῶν, vbi ita differit: τῶν ποιουσῶν μεγεθος λογου, καὶ ὄγκου ἔφην μετὰ σεμνότητα ποιεῖν τὴν τραχύτητα. Nihil vero ebraeis et arabicis poetis adeo frequens est, quam hominum et gentium, sub bestiarum similitudine allegorica repraesentatio, qua singularem carmini sublimitatem ad-

adspergi iudicant, quod et *Hermogeni* visum est: αἱ ἀλληγορικαὶ μέθοδοι ὅτε διαχέουσιν σεμνὸν ποιοῦσι τὸν λόγον. l. c. Cap. 6. Neque graeci prorsus ab hisce metaphoris abhorrent, vt *Lowtho* videbatur: audent potius; sed ibi tantum vbi maxima et prophetica sublimitas, ab aenigmatico et occulto dicendi genere non aliena, eiusmodi imagines requirit. Ita in *Aeschyli Agamemnone v. 134.* de Agamemnone Cassandra vaticinatur:

Ἆ! Ἆ! ἰδού. ἄπεχε τῆς βοὸς
τὸν ταῦρον. ἐν πέπλοισιν
μελαγκερῶν λαβοῦσα μηχανήματι
τύπτει.

Orientales quoque in hisce eligendis allegoriis admodum cauti et accurati sunt, neque eas adhibere solent, nisi bene habita ratione, vtrum cum natura et ratione imaginis et personae attributa conueniant. Sic apud *Arkelam Damascenum*, quem *Abulfeda* excitat, in *Excerptis* a *Schultensio* editis post vitam Salahdini p. 7. Schawarus canis infestus, Schircuch Leo formidolosus dicitur:

هو الاسد الضاري الذي جل خطبه
وساور كلب للرجال عقور ۞

Ille (Schircuch) acer in praedam leo eſt multo formidoloſiſſimus
At Schawarus canis infeſtus et mordax eſt.

Ita quoque Iſpahanenſis in Excerptis Schultenſiii p. 7. etiam in ſtylo proſaico allegoriis nimium ſtudens, principem Carachanum *lupum*, Salahdinum autem *leonem* vocat, nulla adiecta voce, quae comparationis indicium eſſe potuiſſet: *Et cum olfeciſſet lupus ille aurum leonis.* De quo dicendi genere apud orientales vſitatiſſimo plura exempla ex eorum ſcriptis adferre poſſemus; ſed ad ſingula huius commatis verba tranſimus.

„*beſtiam in arundinetis.* Ebr. חית קנה. Multus eſt *Lowthus* (de ſacra poeſ. Hebr. I. p. 108.) in probanda *leonis* imagine ſub hoc ſymbolo intelligenda, cuius luſtra ſint in arundinetis Iordanis. Putat porro, ſub leonis imagine inſolentes tyrannos a poeta pingi. Tamen ſi accurate Dauidis verba perpendimus, videtur ſub ſingulis imaginibus

bus singularem quoque hostem intellexisse. Etenim si vnicum tantum obiectum ante oculos habuisset, plura adhibens vocabula parallelismum induxisset more Ebraeorum. *Crocodylum* autem hic intelligi magis cum veritate conspirat, vti Illustri Michaelis visum est, vtique ex ipsis sacris codicibus probari potest, sub cuius, Crocodyli, symbolo regem Aegypti intelligere solent. Ita Iesaiae 51, 9.

עורי עורי
לבשי עוז זרוע יהוה
עורי כימים קדם דורות העולם:
הלא אתה הוא המחצבת רהב
המחוללת תנין:
הלא אתה הוא המחרבת ים מים תהום רבה
השמת בעמקים ים דרך לעבר גואלים:

Expergiscere! Expergiscere!
Indue robur, o lacerte Iehouae!
Expergiscere, vt priscis diebus, tempore antiquo.
Tune es, qui tela Aegyptiis iecisti
Qui Crocodylum vulnerasti?
Tune ille es, qui exsiccasti mare, aquas maris magni,

Qui paroſti viam per profunda maris vt tranſirent redemti?

Verba רהב המחצבת *Lowthus* interpretatur, *qui exſcidiſti ſuperbum.* Malim חצב *de telorum iactu*, nimirum *tonitrualium*, quae mirifice hic quadrant. حَصَبَ arabibus eſt, *ſiculis et glarea petiit*, quod verbum de tempeſtatibus et vento impetuoſo in vſu eſt, vnde حاصب *ventus glaream ſpargens:* Surata 17, 70. Surata 105. — Loquitur nempe Ieſaias de tempeſtate, qua Aegyptios perturbauerit Deus, in exitu Iſraelitarum, de qua Moyſes loquitur Exod. 14, 24. 15, 6-8. רהב hic omnino eſt *Aegyptus*, licet Pſ 87, 4. 89, 11 *Chaldaeus* et *Syrus* per רהבא, et poſteriori loco LXX etiam ὑπερηφανὸν interpretentur. Chaldaeus quoque, quid ſub רהב intelligendum ſit, clariſſime docet, רהבא הוא פרעה רשיעא. *Rahabo eſt Pharao iniquus.* Et *Aben Ezra* ita differit: רהב הם מצרים והטעם אנשי רהב. *Rahab eſt Aegyptus, ſenſus vero Viri Rahab.* Priori quoque loco graeci pro nomine proprio habuere Ραάβ. Et ad noſtrum locum R. Salomo Ben Melech ita differit: רהב שם עניין חוזק ואומץ ובפירוש זה מצרים וכן בפירוש

בפירוש אזכיר רחב ובבל׃ *Rahab nomen est, quod fortem et robustum significat, cuius vero explicatio est Aegyptus, quomodo dicitur: Recordabor Aegypti et Babylonis;* Ps. 87, 49. Hinc perspicuum esse puto, sub nomine רחב nil nisi Aegyptum esse intelligendum. Plura autem videsis in *Chr. Muelleri Satura Observationum Sacrarum*, et apud *Bochartum in Phaleg. Lib. 4. Cap. 24.* Sed diutius in his diuerticulis non morari lubet: vnum addo, Crocodylum quoque ad Nilum in arundinetis recumbentem, tanquam Aegypti Symbolum occurrere in numis Romanorum antiquis.

„*coetum taurorum cum vitulis populorum.* LXX συναγωγὴ ταύρων. Malim *multitudinem, cateruam* hostilem nimirum. Arabibus nempe est عدّ *numerauit, parauit exercitum.* Inde عدّة *numerus, copiae, exercitus.* Est autem, vt superiori commate, symbolica gentium repraesentatio, qua Arabes fortassis innuuntur, qui praecipue curandis gregibus erant occupati. Magna mihi videtur huic loco cognatio intercedere cum Ps. 74, 14.

אתה רצצת ראשי לויתן
תתנהו מאכל לעם ציים:

Tu confregisti capita Crocodylorum
(sc. Aegyptiorum.)
Dedisti ea cibum populi habitatoribus deserti.

ציים ex sententia omnium interpretum, Aethiopes sunt, ad latus occidentale maris Erythraei habitantes, quos felibus feris comparat, quas non nisi centenario numero ex lustris suis prodire, et ab ipso leone timeri, docent relationes hodoiporicorum. Quod ad locum nostrum, ipsa historia velle videtur, vt de Arabibus scenitis explicemur, quos Dauidis temporibus potentissimos, Iudaeis infensos, et tandem a Dauide ad magnam partem sub iugum missos esse scimus.

„*Luxuriantem laminis argenteis.* Lowthus sane non sine musis hunc locum interpretatus est: *perturbantes riuos argenteos.* Verum, quod dolendum, neque cum textu ebraico conspirat, neque riuuli *argentei* vocari solent orientalibus, quod quidem Europaeis in more est. Meliorem et ebraeo ser-

sermoni magis conformem explicationem dedit *Reu. Ruekersfelderus* in Sylloge Comm. p. 201. 202. quam hic minime admittendam esse iudicamus: *Luxuriantem laminis argenteis.* In versione graeca et arabica summa est obscuritas et difficultas, vt fere, quid legerint, exquirere nequeam. τὸ μὴ ἀποκλεισθῆναι τοὺς δεδοκιμασμένους τῷ ἀργυρίῳ. Alii Codices graeci, vti MS. 40. Bibl. Reg. habent ἐγκλεισθῆναι, alii itidem ἐκκλεισθῆναι; vide Cardinal. *Carafam* ad h l. Edit. Romanae. Quod cum arabica versione magis conspirat: ليحبسوا المختبرين بالفضة *vt retineant probatos argento.* Omnis difficultas in prima voce posita est. Quodsi ex arabica translatione et litteris Phoenicum et Samaritarum coniectura esset facienda, forte חבשו pro רפס lectum esse crederes; sed haec argumenta tantum sunt, neque apparet, qui τοῦ μὴ ἀποκλεισθῆναι transferre potuerint graeci, quos tamen presso pede arabs interpres sequi consueuit. רפס est *luxuriari*, quod lingua arabica docet, vbi رفش de *luxuria* vsurpatur: vulgaris translatio, *calcitrare*, quae a voce arabica رفس petita est, non aliena est ab hoc

hoc ſenſu, ſiquidem nempe de *equis luxuria recalcitrantibus* in vſu eſt. — Vocem בְּרָצִי Graeci a רצד deriuarunt, quod *probare*, ſignificat, et apud Thalmudiſtas de *ſolutione pecuniae* occurrit, quibus inde deriuatae voces de auro et pecunia probata in vſu ſunt. *R. Salomon Ben Melech*, רץ *de laminis* quoque intelligit. Antiquitates arabicae non ſolum huic explicationi fauent, ſed ſimul indicant, populum quem hoc ſymbolo indigitare voluerit Dauides: ipſos nimirum Arabas, cum quibus grauiſſima Iſraelitis bella fuerunt. Laminis nempe argenteis, cum ornamenti, tum religionis cauſſa veſtes ornare ſolebant Arabes. Eaeque laminae שהרונים *lunulae* vocabantur a ܣܗܪܐ *Luna*, quam ſub *Alithae* vel *Alilat* nomine cultam ab Arabibus fuiſſe, Herodotus teſtis eſt. Quod ornamenti genus in praeda erat regum Iſmaeliticorum Zebae et Zalmonae Iudic. 8, 21. 26.

„*Diſperge gentes.* Imperatiuum hic ad maximam partem vetuſti interpretes admittunt, quomodo et Schultenſius in Theſauro Grammatico interpretatus eſt. Paralle-

liſmus

lismus etiam praecedentis membri, vbi גער dictum est, imperatiuum saltem exigit בַּזֵּר, nisi forte omnino פַּזֵּר legendum sit, cum graecis, qui habent διασκόρπισον, quomodo פזרת transtulerunt Ps. 89, 11. Arabis quoque شَتَّ τῷ فَزَرَ est plane synonymum.

v. 31.

„*principes ex Aegypto.* Varii sunt in explicanda voce השמנים Commentatores, qui, vnico *Raschio* excepto, qui ררונות interpretatus est, in duas tantum partes abeunt, vt vel de ipsis *principibus*, vel de *legatis* principum interpretentur. LXX vtuntur voce πρέσβεις, quae vtramque significationem admittit. *Hieronymus* forte cum *Aquila* legatos intellexit, quomodo etiam *Arabs*: deprecatores, intercessores. Hos sequitur *Syrus* et *Aethiops* et Vulgata in quibusdam codicibus, namque in aliis *principes* scriptum est, quod ex *Correctorio Bibl.* Sorbonae cognoscitur. De *principibus* explicant Thargum, Kimchi et R. Nathan, aliique Iudaeorum. Et huic quidem explicationi fauet lingua arabica, vbi حَشَمَ est, *multi fa-*

famulitii fuit. Adde *Grotium*, qui ſingularum dynaſtiarum Aegypti principes intelligit.

„*Aethiopia ſupplices tendet Deo palmas.* Chus (Syriace ܟܘܫ gentil. ܟܘܫܝ) adeo late patet apud ſcriptores orientales, atque aethiopiae nomen apud graecos, quod in diſcrimina quam plurima deduxit antiquae geographiae, Hiſtoriae et mythologiae ſtudioſos Tribus autem regionibus, quantum video, Aethiopiae nomen a ſcriptoribus antiquis tributum eſt: primo nempe ei regioni ad Oxum (quem antiquiſſimo nomine ſuo Gihonem vocat Abulfeda) quam hodie Choraſmiam dicimus, cuius fuit metropolis كاث vnde vniuerſa prouincia *Cuſch* dicta eſt. Vide *Abulfedae Choraſmiam p. 11. in Voll. II. Scriptorum Geographiae Graec. minorum.* Vnde perſpicuum eſt, quod viris doctis dubia peperit quam plurima, quare Memnona, Troianis ſubſidio venientem copias ex Perſia duxiſſe, vnanimi conſenſu confirment ſcriptores antiqui, cum alioquin certiſſimum ſit, Memnona ex Thebaide originem ſuam habere. Neque hoc erroribus memoriae tribuendum eſt, vt qui-

quidem *Iablonskius*, lux et fax antiquitatum Aegyptiarum, putat in *dissertatione de Memnone Graecorum p. 13.* sed geographicis cum vnum idemque nomen Thebaidi et Aethiopiae tributum viderent. Ipsa deinde Aegyptus Aethiopiae nomine celebrata est apud *Eusebium* de *praeparatione Euangelica Lib 13. Cap. 3.* qui ex fragmento Aeschyli haec verba adducit:

Γένος μὲν ἀντεῖν καὶ μαθὼν ἐπίσταμαι
Αἰθιοπίδος γῆς, ἔνθα Νεῖλος ἑπτάῤῥους
Γαῖαν κυλίνδων ῥευμάτων ἐπομβρίαις
Ἐν ᾗ πυρωπὸν μηνὸς ἐκλάμψαι φλόγα.
Αἴγυπτος ἀγνοῦ νάματος πληρουμένοι
Τήκει πετρίων χιόνα. πᾶισα δ' ἐυθαλὴς
Φερέσβιον δήμητρος ἀγγέλλει σάχων.

Thebaida autem praecipue sub nomine Aethiopiae, vbi Aegyptum indicat, intelligendam esse, docuit Vir Doctus l. c. pag. 11. Axumitarum tandem regio vltra Homeritidem, quomodo istum tractum dicunt, quem hodie *Habissiniam* vocamus, sub Cusch est intelligenda. Vide *Assemanni Bibliothecam Orient.*

Orient. 1, 360, in Excerptis ex Beth Arsamense de regno Indorum. No. 1. Et hanc eam regionem esse, quam poeta noster respexit in hoc carmine, arabs quoque probat, qui כוש Habissiniam الحبشة interpretatus est.

Quod ad verba תרוץ ידיו de *munerum oblatione* intelligunt Iudaei, *Aben Ezra* et *Kimchi*. De supplicatione alii Supplicantes enim protendere solebant manus, quomodo χειρῶν ὑπτίασμα explicat *Aristoteles de mundo Cap. 6.* πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι. Quae explicatio hic egregie quadrat. Tantam praedicat poeta victoriarum futurarum famam, vt sponte sua Aegyptus et Aethiopia supplices manus protensura sit, responsa petitura. Ferme vti est apud *Horatium* Lib. 4. Oda 14.

Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque et Indus et profugus Scythes
Miratus, o tutela praesens
Italiae, dominaeque Romae.

Te

Te, fontium qui celat origines
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus, qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

Te non pauentis funera Galliae
Duraeque tellus audit Hiberiae
Te caede gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

Et in Carmine Saeculari, v. 33.

Iam mari terraque manus potentes
Medus Albanusque timet secures;
Iam Scythae responsa petunt superbi
Nuper et Indi.

Quibus adde Pindarum Nemeic. η', 15-22. De supplicatione hunc locum olim iam explicarunt *Möllerus* et *Iohannes Campensis.*

v. 32.

„*Regnã terrarum.* ממלכות הארץ arcto nimis sensu accipiunt, qui cum Aben Ezra regiones a Dauide tantum superatas, vel Aegyptum et Aethiopiam tantum intelligendas esse iudicant. Vniuersum terrarum orbem Iouae imperio, aliquando subiectum iri praedicat, et plura sane praedixit, ac populus iis temporibus, vbi sacra mysteriorum inuolucris tecta erant, capere poterat. Regna orbis terrarum ad Iehouae supremi moderatoris landes excitat, vt Ps. 2.

ועתה מלכים השכילו

הוסרו שופטי ארץ

Nunc igitur prudenter agatis reges,

Erudimini iudices terrae.

v. 33.

„*Equitanti in coelis, coelis antiquissimis.* LXX et Arabs praemittunt *canite,* ψάλ-

ψάλλατε τῷ θεῷ, quasi scriptum esset זמרו אלהים. Quae lectio est poetica valde, et ἀὐξησιν elegantissimam carmini conciliat. Equitans autem in coelis antiquitate sua venerabilibus, tonitruus Deus est, quem iam in carminis huius initiis depinxerat. Cum hoc loco autem conferri potest Horatius Lib. I. 12.

Te minor latum reget aequus orbem,
Tu graui curru quaties olympum
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

v. 35.

„*Terribilis est Deus.* Admirationis ideam expressêrunt LXX et Arabs, θαυμαστὸς, عجيب quod forte deriuationi tribuendum est, cum ראה radicem huius vocis esse putarent. Caeterum et lectio horum interpretum, qui tertiam personam pro secunda substituunt ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτῦ admodum elegans est, et incommodam istam personarum mutationem euitat, quam

Ebraicus textus exhibet, vbi ſane incongruum eſt, de allocutione cogitare. Tamen Symmachus et Hieronymus maſorethicam lectionem ſeruant. Sanctuaria autem hic ſunt nobiliſſima iſta loca, vbi magnificentiam et potentiam ſuam Deus manifeſtauerat, Zion nempe et Sinai.

III.

PSALMVS

CENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVARTVS

AD

CODICES MSS. ACCVRATE RECENSITVS.

ACCEDIT

VERSIO LATINA, LECTIONIS VARIETAS

ET

ANIMADVERSIONES CRITICAE.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1773290428/phys_0249
DFG

תהלי קמ"ד (*) לדוד

Psalmus Dauidis.

1. ברוך יהוה צורי
המלמד ידי לקרב
אצבעותי למלחמה:

1. *Benedictus Iehoua, rupes mea,*
Qui proelia docet manus meas,
Bella digitos meos.

VARIETAS LECTIONIS.

(*) מזמור לדוד LXX in MS. 41. Biblioth. Regiae.
יהוה אלהי LXX.
צורי abest a LXX et Syriaca versione.
ואצבעותי addito ו praefixo *Syrus*. אצבע°תי omisso ו 18. 27. et 29. Bibl. Reg.

2. חסדי ומצודתי
משגבי ומפלטי לי
מגני ובו חסיתי
הרודד עמים תחתי:

2. *Misericordia mea, et arx mea,*
Perfugium meum et seruator meus,
Clypeus meus, quo protegor,
Qui populos mihi subiicit.

3. יהוה

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 2. חסדי deest apud Syrum.

מצודתי° omisso ו praef. *Syrus.*

משגבי omittit Syrus.

לי deest apud LXX. Hieron. et Syrum.

מגיני add. י MS. 18. Bibl. Reg.

בו° omisso ו praefixo LXX. et Syus.

הרודד plene per ו 29 et 32. Sorbonæ 18. et 29. Biblioth. Reg. והרוד° addito praef. Syrus.

עמים

3. יהוה מה אדם ותדעהו
ובן אנוש ותחשבהו׃
4. אדם להבל דמה
ימיו כצל עובר׃

3. *Domine, quid eſt homo, et agnoſcis eum?*
Filius hominis et computas eum?
4. *Homo vapori ſimilis eſt*
Dies eius vt vmbra tranſiens.

VARIETAS LECTIONIS.

עמים pro עמו Maſſora. Syr. Hieron. Aben Ezra et Raſchi.

Verſ. 3. יוכן pro בן, LXX. Syr.

בן אדם pro בן אנוש MS. 32. Biblioth. ſed ſignata vox, et in marg. additum eſt אנש ab alia manu.

Verſ. 4. ע׳ב ר omiſſo ו MS. 18. Biblioth. Reg.

עברו LXX. Syr.

ה. יהוה הט שמיך והרד
גע ההרים ויעשנו׃

ו. ברוק ברק והפיצם
שלח חציך ותהמם׃

5. *Iehoua inclina coelos tuos et descende,*
Attinge montes et fumigabunt.

6. *Corruscare, fac fulgura et dispergе eos,*
Emitte sagittas tuas et conturba eos.

ז. שלח

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 5. שמים pro שמיך LXX in MS. 40 41 Bibl. Reg. et apud Diu. Chrysostomum. Syrus et Chaldaeus.

הט ante שמיך abest in Cod. 32. Sorbonae, sed additum in margine ab alia manu.

וגעו pro גע Syr.

Vers. 6. ברקיך per suffixum, Syr.

7. שלח ידך ממרום
פצני והצילני מכמים רבים
מיד בני נכר:

8. אשר פיהם דבר שוא
וימינם ימין שקר:

7. *Extende manum tuam ex alto;*
Erue me et libera me ex aquis magnis,
E manu peregrinorum.

8. *Quorum os falſa loquitur,*
Et iuramentum eorum eſt iuramentum mendacii.

9. אלהים

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 7. ידך pro Vulgato ידיך MSC. 18. et 48. Biblioth. Reg. LXX, Syr. Chald. Hieronym. Arabs, Vulgata.

פצני° omiſſo ו praef. Syr.

ומיד° cum ו praef. Syrus.

9. אלהים שיר חדש אשירה לך
בנבל עשור אזמרה לך:

10. הנותן תשועה למלכים
הפוצה את דוד עבדו מחרב רעה:

9. *Deus, carmen nouum dicam tibi,*
Decem cordarum nablio canam tibi.

10. *Praebenti victoriam regibus*
Eripienti Dauidem seruum suum e gladio noxio.

11. פצני

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 9. ובנבל cum ו praef. Syrus.

Vers. 10. למלך pro למלכים Syrus.

הפצה omisso ו MS. 18. Bibliothec. Reg.

11. פצני והצילני מיד בני נכר
אשר פיהם דבר שוא
וימינם ימין שקר:

12. אשר בניהם כנטעים מגדלים בנעוריהם
בנותיהם כזויות מחטבות
תבנית היכל:

11. *Erue me et libera me e manu peregrinorum,*
Quorum os falſa loquitur,
Et quorum iuramentum eſt iuramentum mendacii.

12. *Quorum filii proceres ſunt, vt plantae in adoleſcentia ſua,*
Filiae eorum, vt columnae exſculptae
Structura palatii.

מזויהם 13,

VARIETAS LECTIONIS.

Verſ. 12. בניהם pro vulgato בניהו LXX. Syr. Arabs, Vulgata.

כנטיעים

13. מזויהם מלאים מפקיעים
מזן אל זן
צאוניהם מאלפות מרבבות
בחוצותיהם:

13. *Promtuaria eorum plena, effundentia*
Cibum ad opulentiam.
Greges eorum in millibus innumerabilibus
In pascuis suis.

14. אלופיהם

VARIETAS LECTIONIS.

כנט״ועים MS. 18. Bibl. Reg. כנט״ועים MS. 32 Sorbonae. כנטע Syrus.

מנעוריהם Syrus et Chaldaeus.

בנותיהם pro vulgato בנותינו LXX, Syrus, Arabs, Vulgata.

כזוי״ות 18. 29. Bibl. Reg. 29. Biblioth. Sorb. sed in hoc erasum est ו a manu posstera. זויות״ omisso כ LXX, Symm. Chald. Vulgata.

Vers. 13. מזויהם pro vulgato מזוינו LXX, Syrus, Arabs, Vulgata.

14. אלופיהם מסבלים
אין פרץ ואין יוצאת
ואין צוחה בחרבותיהם:

14. *Tauri eorum praegrandes,*
Non eſt interruptio, neque egreſſus
Neque ululatus in plateis eorum.

15. אשרי

VARIETAS LECTIONIS.

מזה אל זה LXX, Syrus, Hieronymus, Vulgata.

צאנכו omiſſo ו MS. 18. Biblioth. Reg. צאוניהם pro vulgato צאונכו LXX, Syrus, Vulgata, Arabs.

בחוצתיו MS. 18. Bibl. Reg. בחוצותיהם LXX, Syrus, Arabs, Vulgata.

Verſ. 14. אלופיהם pro vulgato אלופינו LXX, Vulg. et Arabs. אלופותיהם Syr.

ואין בהן יוצאת Syr.

אין° omiſſo ו Syr.

בחרבותיהם pro vulgato בחרבותינו LXX, Syr. Symm. Vulg. et Arabs, et alius in Hexaplis.

15. אשרי העם שככה לו
אשרי העם שיהוה אלהיו׃

15. *Beatus populus, cui talia sunt,*
Beatus vero populus, cuius Iehoua
Deus est.

VARIETAS LECTIONIS.

Vers. 15. האשרי interrogatiue Syrus.

ANIMADVERSIONES CRITICAE IN PSALMUM CXLIV.

Argumentum.

Dauidem in hoc carmine victoriam celebrare a Goliatho reportatam, hodie legitur in MSS. et impressis libris versionis graecae, vt in Codd. 40 et 41 Biblioth. Reg. Tamen abfuit hoc commentum a vetustis codicibus, quos indicat scholiasta graecus apud Cardinalem Carafam in Editione Romana, nec apparet in Hexaplis Origenianis. Idem glossema transiit ad Syros, vti videre est in Argumento versionis Syriacae, et ni fallor ex ipso Chaldaeo originem habet, qui versum 10. ita expressit: מחרבא בישא דגלית *a gladio impio Goliathi.* Nec certior eorum sententia est, qui hunc Psalmum aduersus Abnerum factum putant. Sanior omnino *Aben-Ezrae*

est explicatio, qui hoc carmen a Dauide dictum putat, quo tempore omnes suos aduersarios vicerit. Deum itaque, pro partis iam victoriis laudat, et precatur, vt reliquos quoque hostes domare velit. Ad impiorum, in fine carminis, fortunas digreditur, tamen multo fortunatiorem eam gentem esse docet, cuius Iehoua Deus est. — Quod ad vocem ψαλμὸς, quam in Codicibus nonnullis adnexam video versioni graecae, eam omittunt alii MSS. vti 21 et 22. Biblioth. Regiae. Nec est in MSS. arabicis et syriacis versionis vtriusque, nec in Paraphrasi Chaldaica.

v. 1.

„*Iehoua rupes mea.* יהוה צורי. Bona lectio, quae hodie in omnibus codicibus ebraicis apparet. Originem autem varietatis in versione graeca, vbi κύριος ὁ θεός μου scriptum est, ipsa fortassis continet vox צורי, quam ab *Aquila* interdum per σέβεος, et a D. Hieronymo h. l. *fortis meus* video translatam. Quae in margine olim per אלי *Deus meus* explicata, primam lectionem extrudens in ipsum textum, quo

graec

graeci vsi sunt, transiit. Nisi antiqua literarum cognatio magis arridet. Rupes autem pro refugiis habere solent etiam hodie Arabes, qui, nisi victoriae certi, ab altitudine montium hostes adgredi solent, vnde et rupes *victoriae* simul notionem apud orientales acceperunt.

v. 2.

„*Clypeus meus quo protegor.* Hodierna lectio est ובו מגני *Clypeus meus et quo.* Dubito de hac lectione, vti certe illud ו ex praecedenti voce ומפלטי repetitum videtur, quod a Syriaca versione abest, et a graeeis MSS. Tamen nihil muto, cum in Ebraeis, aliisque graecis codicibus appareat. Melior certe sensus est: Clypeus meus, quo me protego, quam vulgaris iste: clypeus meus, in quo speraui. Quam significationem verbo חסה praebet lingua arabica, vbi حشى est *protegere, defendere*, eamque ob causam *Symmachus* ἀμφιμυνεῖν transtulit Ps. 35, 8. et מחסה, quod vulgo *refugium* interpretantur, LXX σκέπη *tegmen* dixerunt. Ps. 70, 7.

„*qui populos mihi ſubiicit.* Ita legimus, pro vulgato עמי, quinque auctoritatibus muniti, ex quibus Raſchi et Aben-Ezra probant, in hodiernis quoque codicibus hanc lectionem ſuperfuiſſe. Probatur inſuper haec lectio totius carminis nexu, vbi praecipue v. 9. 10. gratias Deo offert, pro victoriis ſibi iam conceſſis. Tamen meminit Raſchi in MSC Biblioth. Regiae, *libri Menuk Megeh*, vbi ſcriptum ſit עמי, vbi vero Maſſora habuerit עמים et pro תחתי, תחתיו; vt nempe תחתי ad ipſum Deum referatur, qui ſua ſibi victoria inimicas gentes ſubiecerit. Quae non inepta lectio, ſed teſtibus pluribus deſtituta eſt. Ceterum hic verſiculus, aliis interpretibus anſam praebuit, vt hoc carmen ei tempori tribuerent, quo poſt exſtinctam Abſalomis ſeditionem, pacatum regnum recuperarat.

v. 4.

„*Homo vapori ſimilis eſt.* Eandem ſententiam exprimit *Euripides:*

Ἄνθρω-

Ἄνθρωπος ἐστὶν πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.

v. 5.

„*Iehoua inclina coelos tuos.* D. Chrysostomus ad h. l. excitat codicem a quo Κύριος abest; tamen isthaec translatio, quae maiorem elegantiam sapit, nihil mutat lectionis, de qua reliqui omnes consentiunt. Eiusmodi ratio est translationis, quae in codicibus nonnullis D. Hieronymo falso tribuitur, quamque anonymus graecus in Hexaplis Origenianis exhibet: κλῖνοντός σου οὐρανοὺς καὶ καταβάντος καὶ ἁψαμένου τῶν ὀρέων, ἐκαπνίσθησαν. Caeterum eandem fere imaginem expressit Ps. 18, 10. Alii ex Codicibus graecis habent οὐ ανοὺς σου, in aliis autem vt in MSS. 40 et 41 Biblioth. Reg. omissum est σου. Et si ex versionum auctoritate et membrorum parallelismo de vera lectione iudicium ferri potest, haud incommode שמיך in שמים poterit commutari.

„*attinge montes.* Syri lectio גער *increpa montes*, admodum ſublimem imaginem efficit, qua grauicrepera Tonantis voce, montes commouentur et fumigant: et omnino poetica pulcritudine maſorethicam lectionem ſuperat. Illud tamen ר in גער ex ſequenti ב ortum videtur, neque vnius auctoritas, tanto omnium conſenſui anteferenda eſt.

v. 6.

„*Emitte ſagittas tuas.* Forte haec lectio anſam praebuit Syro, vt ſcriberet ברקיך *fulgura tua*, verſiculo praecedenti, et certe hic verſiculus ſuperiorem explicat. *Sagittae* enim ſunt *ignes*, *tela ignita*. حصى *glarea* inde *telum*. Vide Coranum Surat. 105.

v. 7.

„*Extende manum tuam ex alto.* Probatior omnino lectio eſt ידך ſingulari numero, quae tanto veterum conſenſu comprobata eſt, vt vix dubitare poſſis. Iod

eſt

est quidem apud Aben-Ezram, sed insertum videtur tanquam mater lectionis. Similis est huic loco Ps. 18, 17.

„*E manu peregrinorum.* Syrus transtulit: *sceleſtorum*, et Arabs نكرة *inuiſorum*, *iniquorum*. Vulgaris tamen significatio melius quadrat in sententiam, qua נכר *barbari*, et omnes in genere hostes vocantur.

v. 8.

„*Quorum iuramentum.* Quod vulgo *dexteram* interpretantur ימין, commodius hic de *iuramento* potest intelligi, quomodo etiam ab *Aben Ezra* explicatum vi deo. A dextera nempe يمين *iuramentum* dixere arabes. Vide *von der Hardt Dissertationem de Eliezere per carpum manus iurante.* et *Schultensii Obseruatt. Philologicas, p. 195.*

v. 9.

„*Victoriam regibus.* Syri interpretis lectionem למלך paralleliſmus forte ſuſtentaret. Tamen quod principio de omnibus praedicat in genere, ad ſe ipſum propius applicat. Vocem תשועה de *victoris* in vſu eſſe, iam ſupra demonſtrauimus ad Pſ. 68.

v. 10.

Vulgata huius verſiculi lectione, vt in textu Maſorethico expreſſa eſt, nihil obſcurius et abſtruſius cogitari aut inueniri poteſt. Hinc nihil adeo abſurdum eſt, ad quod maſorethici textus cultores, tanquam ad ſacram ancoram non confugiant, dummodo aliquem ſenſum inde extorqueant. Sed potius ex pumice aquam. Nusquam illud אשר referri poteſt, niſi ad אלהים v 9 a quo tamen nimis remotum, et praecedenti אשר, quod a voce בני נכר pendet, fere reciſum eſt; verbum praeterea reſtituendum, quod ſenſum efficiat. Hinc ab aliis דּ אשר per

quo-

quoniam explicatur. Sed quam ineptus sensus inde oriatur, cuilibet perspicuum est: *Libera me domine, a manu peregrinorum, quorum os falsa loquitur* etc. *Quoniam filii nostri proceres sunt* etc. Alii itidem tanquam votum interpretantur secundum Deuter. 4, 40. et Ps. 58, 6. vbi tamen אשר melius relatiue explicari potest, vt difficultates praetermittam, quae in posteriori loco occurrunt. Nec sanius est eorum interpretamentum, qui haec verba pro sermone peregrinorum habuerunt. Nos haec commenta dimittimus, antiquam restituentes lectionem, quam supra dedimus, a tot tantisque interpretibus vetustis confirmatam, quam et *Symmachum* in codicibus suis legisse, ex eius translatione v. 13. clarum est, vnde elegantissimus et facillimus sensus efficitur.

„*vt plantae in adolescentia sua.* Filios ob proceritatem plantis, arboribusque comparare, veteres fere omnes consueuerunt. Virgil. Aneid. IX. 674:

Abietibus iuuenes patriis et montibus aequos.

Homerus Odyss. ξ, 175:

τὸν θρέψαν θεοὶ ἔρνει ἶσον.

Adde *Demetrium Phalereum* περὶ ἑρμην. §. 52.

„*vt columnae.* Vox זויה praeter hunc locum tantum occurrit Zachariae 9, 15. eamque ob caussam de eius explicatione auctores incerti sunt, quam maxima pars interpretum de *angulis* aedificiorum intelligendam putat. *Houbigantius* vel vocis ignorantia, vel omissione τοῦ ו deceptus, de *oleis* interpretatur זית, alterumque simul ו exterminat. Nos potius et alterum ו, quod a textu abest restituimus, legentes זויות, et de *columnis* explicamus, cum librorum MSS. auctoritate, tum linguae arabicae consensu vbi, ذوية *columnam angularem* significat. Graeci quidem interpretes hunc sensum parum assecuti sunt; at Chaldaeus paraphrastes, qui ita transtulit: זותנין ובשרין, *columnae* et *rectae.* ܐܘܬܐ nempe Syris et Chaldaeis *columna* est. Licet hic vel ad mores orientalium respicere, qui *filias* abscondere solent zelotypiae caussa, vel, quod

quod mihi quidem magis probatur, ad proceritatem, quae orientalibus valde placebat in virginibus, quae etiam Salomoni arridebat, qui in Cantico suo Cap. 3. proceritatem puellarum his verbis commendat:

מי זאת עלה מן המדבר
כתמרות עשן:

Quaenam haec est, adscendens ex deserto
Procera tanquam columna fumi.

Et Cap. 7, 7.

זאת קומתך דמתה לתמר

Proceritas tua similis est palmae.

Ita quoque filios columnis comparare solebant graeci; *Lycophron v. 278:*

ὦ δαῖμων οἷον ΚΙΟΝ αἰῖξώσεις δόμων ἔρεισμα
πάτρας δυσυχοῦς ὑποσπάσας.

Et Pindarus Olymp. β', 145:

ὅρ' Ἕκτορ' ἔσφαλε Τροίας ἄμαχον ἀσαῤῥῆ Κίονα.

Adde Horat. Lib. I. Od. 33.

Re-

Reliqua autem huius carminis facilia et nullis difficultatibus impedita erunt, vbi eam et in reliquis seruauerimus lectionem, quam hic ex veterum translationibus restituere voluimus.

v. 15.

Hic versiculus veram comparationem in se continet, et praecedentibus valde accommodatam. Felices nempe praedicat gentes, quae tantis, vel filiorum, vel bonorum suorum fortunis gaudeant; at multo fortunatiorem et vere beatam dici posse, cuius Iehoua Deus sit. Cum quo loco comparari potest Homeri Hymnus εἰς τὴν μητέρα πάντων, v. 7. sqq.

FINIS VOLVMINIS PRIMI.

vixeris,
per dies

:
e populus
ziare amant

re riuo.

onem, in qua ni-
litatem ad bene
docet, elegan-
norem et Minas
omites fingit:

t Minae
inus: neque

ura.

am iſtam pulcri-
ſublimitatem de-
docendo; tamen
mitis ſimul: ſe-
itate; aſper, ſed
ſt, qui Penei ad
luſtratur, modo
frou-